




SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE HYPERIDIS ORATIONE FUNEBRI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

WILHELM SCHLAU
LIVONUS



WEIDAE THURINGORUM
TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT
MCMXIII

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

R. Heinze et **J. H. Lipsius.**

Lipsiae, d. II. m. Augusti a. MCMXIII.

Le Blanc, procancellarius.

PARENTIBUS CARISSIMIS
SACRUM

Tabula argumenti.

εὑρίσκεται δὲ ἡ ἀλήθεια
ἐκ τῶν εἰκότων. — Aesch. I 91.

Nuntio de morte Alexandri Macedonis pervulgato Graeci nova libertatis spe incensi Leosthene et Hyperide maxime ad bellum suscipiendum excitantibus summa contentione Atheniensibus ducibus iugum deicere conati sunt. Populus Atheniensium exercitum mercennariorum, quem Leosthenes privato consilio comparatum ad Taenarum promunturium habebat, mercede conducere decrevit, ipsum Leosthenem ducem exercitus Atheniensium creavit, omnes cives usque ad annum quadragesimum militiam ferre iussit, classem exstruere constituit, ad ceteros Graecos legatos misit, qui nuntiarent, *ὅτι καὶ πρότερον ὁ δῆμος, τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν κοινὴν εἶναι πατρίδα κρίνων τῶν Ἑλλήνων, τοὺς ἐπὶ δουλείαν στρατευσαμένους βαρβάρους ἠμύνατο κατὰ θάλατταν καὶ νῦν οἴεται δεῖν ὑπὲρ τῆς κοινῆς τῶν Ἑλλήνων σωτηρίας καὶ σώμασι καὶ χρήμασι καὶ ναυσὶ προκινδυνεύειν* (Diod. Sic. XVIII 10).

Duobus proeliis primo in Boeotia, cf. Hyp. epit. § 11 (apud Plataeas factum esse propter Diod. Sic. XVIII 11, 5 dicunt A. Schaefer: „Demosthenes und seine Zeit“ III² p. 363, J. Beloch: „Griechische Geschichte“ III 1 p. 72/73), altero apud Thermopylas, cf. Hyp. epit. §§ 12, 18, feliciter confectis, Leosthenes, qui plurimos socios sibi adiunxerat, Antipatrum Graeciam intrare prohibuit, reppulit, intra Lamiam oppidum obsidione clausit. Tum Athenienses spei maximae pleni erant, et re vera Leosthenes, cui omnes ceteri socii principatum concesserant, rem optime gessit. Ille enim ad bellum impulerat, ille mercennarios conduxerat, ille denique omnes socios coniunxerat et inflammaverat, qua de causa sine dubio eius meritis res eo deducta est, ut Antipater iam de pace ageret,

cf. Diod. XVIII 18, 3. Tum erumpentibus hostibus repugnans Leosthenes lapide ictus tertio die mortem obiit. Per aliquod tempus Antiphilo duce creato Graeci feliciter pugnare pergebant et nondum spem abiciebant, eo magis quod Leonnatus, qui ad Antipatrum liberandum appropinquaverat, victus et ipse occisus est.

Paulo post hanc Leonnati cladem, cf. Hyp. epit. § 14: *δίκαιον δ' ἐστὶν μὴ μόνον ὧν ἔπραξεν Λεωσθέ[νης ζῶν] χάριν ἔχειν αὐτῷ πρ[ώτῳ], ἀλλὰ καὶ τῆς ὕστερον [γενομέν]ης μάχης μετὰ τ[ὸν ἐκεῖνο]υ θάνατον*..., Hyperides ad orationem in funere publico bello Lamio defunctorum habendam a populo orator creatus, cf. Diod. XVIII 13, 5, hunc epitaphium pronuntiavit *ἐπιδεικτικῶς, ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἄλλος* cf. *περὶ ὕψους* § 34.

De huius orationis, quae papyro Aegyptia inscripta a. 1856 inventa est, argumento mihi hoc loco agere proposui et iam ceteris saepius tractatis quaestionibus omissis ad ipsum hoc artis oratoriae Atticae exemplum perscrutandum accedo.

I. De argumenti dispositione.

Dispositio argumenti orationis nostrae, cuius locos secundum editionem Oxoniensem, quam a. 1906 Kenyon curavit, afferam haec est.

I. Prooemium (§§ 1—2) complectitur duas sententias:

1. Defuncti viros fortes (*ἄνδρες ἀγαθοί*) se praebuerunt neque unquam res clariores visae sunt (*πράξεις μεγαλοπρεπεστέρας*).
2. Qua de causa orator metuit, ne verba pro rebus gestis inferiora videantur, sed sperat audientes, ipsos defunctorum virtutis testes, pro se quemque ab oratore omissa addituros esse.

Iam in hac prima sententia quamvis in papyro mutilata invenimus duas res, quibus laudatio ducis atque militum innititur: virtutem et res gestas.

Quod orator dicit non facile esse occisos debita laude ornare metuens, ne memoria defunctorum eo minui possit, sed opponit auditores ipsos omissa addituros esse, manifeste benevolentiam captat.

Hoc prooemium rationem orationis funebris et praecipue huius epitaphii optime demonstrare mihi videtur: adhibetur enim ad memoriam mortuorum ornandam et, etiamsi orator modeste de arte sua loquitur, ad hanc ipsam artem praestandam. Res gestas ad rei publicae rationes amplius referre Hyperides non studet.

De genere orationum funebrium amplius agunt: J. L. Chaillet: De orationibus, quae Athenis in funeribus publicis habebantur, diss. Lugdun. 1891. — E. Gossmann: Quaestiones ad Graecorum orationum funebrium formam pertinentes, diss. Jen. 1908. — R. Nitzsche: Über die griechischen Grabreden der klassischen Zeit (Altenb. Progr.) 1901. — H. Meuss: An attischen Kriegergräbern, Beil. zur Allg. Zeit. 2. Mai 1892.

II. Partitio (§ 3). Orator proponit se laudaturum esse

1. rem publicam *τῆς προαιρέσεως ἕνεκεν,*
2. occisos *τῆς ἀνδρείας τῆς ἐν τῷ πολέμῳ* (*ἕνεκεν*),
3. ducem eorum Leosthenem *διὰ ἀμφότερα.*

Tribus brevibus perspicuis sententiis Hyperides hanc partitionem profert, maximum pondus in rebus obiectis ponit, quae omnes primo loco trium fere parium (15, 18, 15 syllabae) periodi membrorum positae sunt. Singulis membris adnectuntur singulae amplificationes, quarum in duabus orator eisdem atque in primis partibus vocabulis utitur: *τῆς προαιρέσεως* . . . *τὸ προελέσθαι. τὸν δὲ στρατηγὸν* . . . *τῆς τε γὰρ προαιρέσεως εἰσηγητὴς τῇ πόλει ἐγένετο, καὶ τῆς στρατείας ἡγεμὼν τοῖς πολίταις κατέστη.*

Dispositio duplici ratione composita videtur: primo loco de summa re, de re publica, fit mentio; deinde transitur ad membra rei publicae — ad cives defunctos; postremo orator ad unum civem praestantissimum convertitur. Sed ratio gradationis, quae sine dubio in hac partitione inest, in eo consistit, quod transgressus fit a minore ad maius. Orationem perscrutantes inveniemus laudem secundum hanc gradationem augeri. Itaque altera dispositionis ratio modum videtur observare, quo belli Lamii participes fuerant: res publica, milites, dux. Persona Leosthenis iam eo insigniter praedicatur, quod ambae laudationis causae, et ad civitatem et ad cives celebrandos allatae, ad ducis laudem conveniunt.

E quo patet consilium epitaphii, praecipue eximium honorem Leostheni tributum, iam hac artificiosa partitione dilucide indicatum esse.

III. Laudatio §§ 4—23.

Haec maxima orationis pars partitionem aliquantum sequitur: in primis §§ 4—6 exponitur laus civitatis, deinde §§ 6—9 prooemium quoddam continetur laudis omnium defunctorum communis; in tertia parte §§ 9—14 Leosthenis laus primas habet partes, nullas fere militum; in ultima parte §§ 15—23 milites diserte praedicantur.

Quae cum ita sint, quattuor partes laudationis discernendas esse iudico.

1. Laudatio rei publicae §§ 4—6.

Ut hanc brevissime exponere possit, Hyperides tres causas affert:

1) tempus affirmat ad omnes res prioribus temporibus gestas enumerandas neque idoneum 2) neque ad multa verba facienda opportunum esse; denique 3) non facile uni homini esse tantas et tales res exponere et commemorare.

Quibus causis haec brevissima Athenarum laus, quae in ceteris epitaphiis maxima est, specie solum probatur. Vera causa certe in eo est, quod Hyperidis hanc partem uberius explicari minime intererat, cum ad res bello Lamio gestas celebrandas vetera facta nihil pertinerent.

Exinde, ne quis existimet oratorem rei publicae meritam laudem tribuere nolle, affirmat: *ἐπὶ κεφαλαίου δὲ οὐκ ὀκνήσω εἰπεῖν περὶ αὐτῆς,* et sequitur nota illa Athenarum cum sole comparatio, qua praedicatur Athenas sine ullo lucri studio iustum et aequum in Graecia servare et suis periculis atque impensis universae Graeciae securitatem praebere.

2. Exordium laudis omnium defunctorum §§ 6—9.

Orator, postquam civitatis laudem usu praescriptam, cui in Periclis apud Thucydidem epitaphio magna pars orationis conceditur, ita brevissime absolvit, exponit, quid sibi proprie in hoc epitaphio praedicandum proposuerit: laudem Leosthenis et ceterorum defunctorum. Ad quam laudem transgreditur per mentionem indigenae originis atque educationis Atheniensium, quae aptos faciant cives, ut se fortes praestent et patriae omnique Graeciae plurimum boni praebeant. Quae pars, quia de rebus omnibus notis agit, praeteritionis forma brevissime tractatur. Duplici illa sententia tota laudatio innititur, nam orator persaepe recurrit 1. ad defunctorum virtutem (*ἀρετήν,* sive *ἀνδρείαν,* sive *ἀνδραγαθίαν*) et 2. ad res ab iis pro communi salute gestas (*ὡς πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιοι γεγένηνται τῇ πατρίδι καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν*).

3. Leosthenis laudatio §§ 9—14.

Iam ad laudem ducis se convertit. Qualem unius viri praedicationem factis Leosthenis deberi, quae secundum temporis ordinem exponuntur, demonstratur. Leosthenes enim cum vidit miserum statum Graeciae, quae a Philippo atque Alexandro per homines largitione corruptos premebatur, se ipsum patriae liberandae, patriam libertati universae Graeciae tradidit. In hoc est prima laudis causa — *προαίρεσις*. Haec affirmatio rhetorica deinde rebus gestis, e quibus simul virtus ducis appareat, probatur: exercitum mercennariorum conduxit, dux civium Atheniensium factus est, eos, qui primi libertati Graecorum obstiterunt: Boeotios, Macedones, Euboeenses alios in Boeotia superavit, Thermopylas occupavit, Antipatrum Graeciam intrare prohibuit, vicit, Lamiae obsidione clausit, denique Thessalos, Phocios, Aetolos alios socios sibi conciliavit.

Ita ea, quae sibi peragenda proposuerat (*προαίρεσις*), pervicit, fato ipse victus est. Nihilo minus ei in primis (*αὐτῷ πρ[ώτῳ]*) gratiae etiam de victoria post eius mortem adepta *καὶ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν* agendae sunt, cum fundamenta rerum secundarum ab eo posita sint.

In hac laude invenimus illas in partitione propositas sententias: 1. *προαίρεσιν,* 2. *ἀρετήν,* quarum alteram duplici ratione orator sequitur: a) quatenus ipsa e rebus gestis appareat, quamquam definite hoc non commemoratur, b) quatenus e successu rerum gestarum manifestetur: *τὰ ἀγαθά.*

4. Laudatio militum §§ 15—23.

Leosthenis laude peracta iam militum praedicatio praevalet, ad quam orator transgreditur per praemunitionem (*προδιόρθωσις*), ne quis putet oratorem solum ducem laudibus efferre, de militibus autem nulla verba facere; immo affirmat laude ducis etiam laudem militum contineri: illum consilia capere, hos victorias consequi: itaque laude victoriae una cum ductu Leosthenis virtutem exercitus celebrari.

Sequuntur causae laudationis: primum demonstratur militum virtus (*ἀρετή*), quae morte eorum pro libertate Graeciae oppetita illustratur; qui amor patriae etiam ex eo apparet, quod ad primam pugnam in Boeotia committendam conspectu Thebarum

dirutarum dicuntur inflammati esse. Alterum proelium apud Thermopylas prope eum locum, quo Amphictyones convenire solebant, factum erat, e qua re orator concludit defunctos per hanc victoriam non minorem gloriam accepturos esse, cum Amphictyones virtutis eorum recordaturi sint.

Huic sententiae adnectitur § 19 magnifica laudatio virtutis et fortitudinis militum, cum affirmatur nunquam exercitum minorem cum validiore pro tam egregiis rebus conflixisse; milites enim virtutem pro robore et fortitudinem pro multitudine habuisse et universae Graeciae libertatem, Athenis autem singularem virtute sua gloriam peperisse (*εὐδοξίαν ἀπὸ τῶν πράξεων· ἴδιον στέφανον τῇ πατρίδι περιέθηκαν*).

Ita virtute eorum demonstrata sequitur expositio malorum, quae milites a Graecia prohibuerint, i. e. enarrantur secundum § 9 commoda, quae patriae praebuerint. Prohibuerunt enim: 1. ne unus vir dominus omnium terrarum fieret, 2. ne Graecia illius voluntati obsequi cogeretur, 3. ne Macedonum superbia plus valeret quam iustum vigeret, 4. ne igitur feminis liberisque victores vim inferrent. Quibus autem de causis concludat haec eventura fuisse, si Macedones vicissent, ex iis demonstrat, quae iam nunc fiant: 1. hominibus sacrificia fieri, 2. aras, simulacra, templa deorum neglegi, hominum diligenter coli, 3. servos victorum aeque ac heroes honoribus affici. — Ergo cum cultus deorum impietate Macedonum dissolutus sit, quid de rebus humanis censendum esse? nonne futurum fuisse, ut funditus everterentur? — In fine huius partis § 22/23 Hyperides recurrit ad illam paragraphi 19 sententiam, cum exponit, quanto miserior sors Graeciae, si Macedones vicissent, evenisset, tanto maiore laude occisos dignos esse. Nunquam enim exercitum ullum insigniorem virtutem praestitisse neque hostibus et tempestati tam fortiter restitisse, ut vix verbis pronuntiari possit.

5. Beatitudinis praedicatio §§ 24—40[1].

Laudatione iam maxime aucta orator transgreditur ad defunctorum beatitudinis praedicationem (*μακαρισμός*). Nonne

[1] Quamquam haec quoque pars multas laudationis sententias complectitur neque omnis a laudatione dividi potest, tamen ipsis factis, quibus

Leosthenes, qui cives ad labores perferendos impulerat, militesque eius beati habendi sunt? Quam sententiam orator variis argumentis, quorum quattuor genera discerno, fulcit.

I. Prima causa est in virtute (ἀρετή) occisorum posita. 1. Nonne enim, cum virtutem praestiterint, potius felices quam propter mortem infelices habendi sunt? 2. Mortales immortalem famam assecuti sunt et 3. fortitudine sua libertatem omnibus Graecis confirmaverunt; neque enim quicquam nisi libertas (αὐτονομία) homines beatos efficit. Cui dicto adnectuntur nonnulla verba de ratione rei publicae liberae.

II. Alterum argumentorum genus orator in defunctorum beneficiis erga superstites ponit: 1. de re publica libera servanda certaverunt et suis periculis pericula civibus et omnibus Graecis imminentia in omne tempus removerunt, 2. vitam pro aliorum felici vita dederunt, 3. parentibus inter cives honorem, sororibus honesta matrimonia, liberis benevolentiam civium praebuerunt.

---

laus innititur, causisque, de quibus mortui laudandi sint, expositis orator iam maxime beatitudinem eorum demonstrare studet. Qua de re haud errare mihi videor, si propriam partem, beatitudinis praedicationem, a praeeunti laudatione separo. Talem praedicationem, quamquam non tam diserte expositam, invenimus etiam in epitaphio falso Lysiae adscripto § 80/81. Hac oratione fortasse Hyperides exemplo usus est, cum existimetur IV saeculo a. Chr. n., ut Fr. Reuss conicit post annum 352, composita esse. Reuss enim: „Über Ps.-Lysias' Epitaphios" Rh. M. Bd. 38 (1883), animadvertens similitudinem inter Ps.-Lys. II 47 et Isocr. VII 75 argumentatur auctorem Isocratis Areopagiticam orationem anno 353 conscriptam fortasse respexisse. Blass autem: „Attische Beredsamkeit" I² p. 442sq. comprobans Theonis locum, cf. Spengel: Rhet. Graeci II p. 68 et a Ps.-Plutarcho in vita Isocratis 837f prolata defendit hanc sophistae cuiusdam declamationem videri proximis annis post pacem, quae ab Antalcida nomen traxit, conscriptam esse. Itaque hunc epitaphium inter orationes ante annum 323 compositas habebo. — Demostheni falso tributa oratio, cum nonnullae partes aperte Hyperidis sententiis contextae videantur, cf. Blass: „Attische Beredsamkeit" III$_1^2$ p. 404sq., Schaefer l. c. III² p. 36, videlicet ad posteriora tempora pertinet. Quod multis locis cum nostra oratione congruit, liceat mihi in adnotationibus hos quoque locos communes addere. In eo etiam est similitudo, quod in hac declamatione uberior beatitudinis praedicatio invenitur §§ 32—34.

Quo loco orator reicit vocabulum *ἀπολωλότες*, cum asseverat illam vocem occisis non convenire, potius enim dicendum esse viros, qui pro adeo claris rebus mortem obissent, non perisse, sed in aeternam vitam transmigravisse. E qua re orator concludit: si igitur mors aliis hominibus odiosa illis initium magnorum bonorum exstitit, cur non felices putandi sunt? quo pacto eos mortuos neque ad meliorem vitam renatos esse censere possumus? Tum enim liberi insipientes erant, nunc viri fortes facti sunt; tum per multum temporis in multis periculis virtus iis praestanda erat, nunc iam virtute sua inter omnibus noti sunt.

III. Deinde in eo est causa beatitudinis defunctorum, quod superstites in omnibus vitae vicissitudinibus beneficiorum acceptorum reminiscentur. Quod ut demonstret, Hyperides utitur, subiectionis forma; qua ratione illustratur memoriam defunctorum valituram esse: 1. in felici rei publicae statu, 2. in singulorum civium rebus secundis, 3. inter homines cuiusque aetatis, nam bona, quibus superstites fruantur, illis deberi, iuvenes denique viros optimos aemulaturos esse. Ratio huius argumentationis ad eum ipsum finem, ad quem prius genus devenit, inclinatur, ad *ἀγαϑὰ ὧν αἴτιοι γεγόνασιν.* Intercedit autem, quod hoc loco de honoribus defunctis pro meritis tribuendis verba fiunt.

Concluditur haec pars exclamatione: nonne propter tales honores beati habendi sunt? simulque per eandem sententiam ad ultimum argumentorum genus,

IV. ad ceteros mortuis praebendos honores, transitus fit. 1. Poetae atque oratores defunctos celebrabunt, 2. hoc bellum magis bello Troiano laudibus extolletur, 3. fama eorum per totam Graeciam vulgabitur; nam duplici ratione memoria eorum coletur: a) ut laude eorum, qui iugum Macedonum deiecerunt, animi laetitia afficiantur, b) ut laude virtutis et fortium virorum virtus audientium excitetur.

Quibus argumentis expositis Hyperides beatitudinem non dubiam esse existimat § 35 *ἀλλὰ μὴν ὅτι παρ' ἡμῖν καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσιν εὐδοκιμεῖν αὐτοὺς ἀναγκαῖον, ἐκ τούτων φανερόν*

ἐστιν. Nihilo minus hoc ei non satis est, sed, ut beatitudinis praedicationem longius perducat, salutationem Leosthenis eiusque cum militibus vitam in Proserpinae aedibus illustrat, cf. §§ 35—39. Affirmat Leosthenem ab iis receptum iri et cum exercitu suo cum iis tempus acturum esse, qui res similes gesserint. Tales demonstrantur: heroes belli Troiani, quorum tamen facta factis nuper defunctorum imparia sint. a) Illi enim universae Graeciae copiis unam urbem expugnaverunt, Leosthenes autem solis patriae suae opibus dominos Europae atque Asiae perdidit; b) illi propter unam feminam laesam bellum susceperunt, hic cum nunc sepeliendis vim ab omnibus Graeciae mulieribus prohibuit. 2. Exinde facta Leosthenis cum rebus bellis Persicis pro salute Graeciae gestis comparantur, quibus illa tamen praestant, nam ceteri omnes in ipsa Graecia hostes vicerunt, hic autem ne intrare quidem sivit. 3. Denique tyrannocidis simillimi iudicantur, quos tamen eo superavisse dicuntur, quod non modo patriam sed universam Graeciam tyrannide liberaverint.

Omnis haec ducis militumque laudatio exclamatione oratoris admiratione commoti concluditur; quae exclamatio partitionem respicit, cum eaedem laudationis causae proferuntur: *προαίρεσις* et *ἀρετὴ καὶ ἀνδραγαθία.*

Hactenus oratio in papyro conservata est.

⟨IV. Adhortatio.⟩

Reliqua pars orationis, quam apud Stobaeum flor. 124, 36 habemus, huic exclamationi commode non adnectitur; respiciendum enim est, quam diligenter Hyperides id studeat, ut transgressus ad novas orationis partes quam maxime convenientes sint et per argumentum ipsum fieri videantur. Praeterea credere non possum Hyperidem, quippe qui una cum Leosthene Athenienses ad bellum suscipiendum impulisset acerrimusque Macedonum adversarius esset, tam idoneum locum ad cives, ut in bello perseverarent, adhortandos, ad spes victoriae et libertatis excitandas omittere potuisse. Viro in re publica versato demonstrandum erat, quo rei publicae statum Leosthenes rebus a se gestis pro-

duxisset, quod lucrum Graecis e prospero successu percipiendum esset. Quibus de causis, quod Blass[1] in §§ 32 et 34 satis idoneam adhortationem esse putat, ei assentiri non possum, immo hanc orationem usitatam et rebus gestis optime accommodandam ampliorem adhortationem continuisse censeo.

V. Consolatio §§ 41—43.

In parte a Stobaeo servata invenimus consolationem superstitum. Incipitur autem ab ea re, quod non facile esse dicitur adeo gravi luctu affectos consolari, nam maerorem neque verbis neque legibus sisti, cum modus luctui natura cuiusque hominis et pietate erga defunctum datus sit. Tamen orator transgreditur ad refutandas maeroris causas affirmatque: 1. superstites decere non solum mortis suorum sed etiam aeternae eorum gloriae memores esse, 2. neque enim miseratione sed summa laude digna commisisse[2]; 3. etiamsi senectutis mortalium expertes mortem obierint, tamen nunquam senescentem famam adeptos omnino beatos esse; 4. qui sine liberis mortui sint, eos famam immortalem pro liberis nacturos esse; 5. infantibus ceterorum rem publicam esse consulturam. 6. Denique affirmatur mortem nequaquam aliquid mali esse, cum duae facultates exstent: nam a) si mortuum esse par sit atque nunquam natum esse, defunctos morbis, maerore, ceteris humanae vitae vicissitudinibus vacare' b) sin autem illa veriora sint, ut apud inferos sensus maneat sintque numini divino mortui curae, censendum esse illos, qui de deorum honoribus meruerint, maximae deorum curae participes futuros esse.

---

[1] Blass, Attische Beredsamkeit III_2^2 p. 93.

[2] Lectio, quam Blass recepit, a Leopardi Rh. M. 1835 p. 11 proposita: *εἰ γὰρ θρήνων ἄξια* . . . haud probanda mihi videtur. Nam orator studet auditoribus persuadere nullas maeroris causas esse, cum maiora commoda incommoda adaequent. Itaque videmus refutationem luctus causarum optime per contraria fieri posse, qua de re codicis lectio sententiae convenire mihi videtur; profertur enim non id animadvertendum esse, quod mortem obierint, sed quod res praeclaras gesserint. Orator, cum maerorem lenire velit, negat mortem militum lamentis dignam esse: *οὐ γὰρ θρήνων ἄξια πεπόνθασιν, ἀλλ' ἐπαίνων μεγάλων πεποιήκασιν.*

⟨VI. Conclusio.⟩

Conclusio nobis tradita non est, quamquam in consolatione iam manifesta perorationis vestigia invenimus. Non dubito, quin orator verbis quibusdam, fortasse formula a ceteris orationum funebrium auctoribus trita, epitaphium concluserit[1].

Si hanc argumenti dispositionem cum aliis orationibus funebribus comparamus, in primis easdem partes maximas: prooemium, laudationem, consolationem in omnibus invenimus; ceteras duas partes non omittendas, adhortationem et conclusionem, hic etiam fuisse censeo. Denique accedit sexta pars beatitudinis praedicatio, qua etiam auctor orationis Lysiae adscriptae breviter et auctor epitaphii falso Demostheni tributi fusius utuntur. Eaedem partes sunt, quae rhetorum praeceptis postulantur (Ps.-Dionys. *Μέθοδος ἐπιταφίων, Τέχνης ῥητορικῆς* VI, cf. Dionys. Hal. opuscula edd. Usener-Radermacher II, p. 277 sq. et Menandri rhetoris: *περὶ ἐπιταφίου, περὶ ἐπιδεικτικῶν* XI, cf. Spengel: Rhetores Graeci III, p. 418 sq.).

Tamen nonnullas graves differentias inter hanc et plurimas ceterarum orationum intercedentes animadvertimus, desunt enim factorum fabulosorum praedicationes nimiaeque civitatis atque maiorum laudes. Simili ratione Thucydides II 35—46 Periclem facit utentem, cuius rei causa haec videtur esse, quod Hyperidis oratio re vera pronuntiata est, Thucydides autem orationem talem componere studet, qualis a Pericle pronuntiari potuit. Qua de causa hae orationes factis et tempori accommodatae sunt, propterea quod iis opus non erat inanibus laudationibus. Itaque Hyperides omne pondus in laudem nuper defunctorum,

---

[1] cf. Blass. l. c. III$_2^2$, p. 93. — Sauppe, Philologi Suppl. 1860, p. 51. Formula apud ceteros oratores haec est:

Thucyd. II 46: *νῦν δὲ ἀπολοφυράμενοι ὃν προσήκει ἑκάστῳ ἄπιτε.*

Plat. Menex. 249 c: *νῦν δὲ ἤδη ὑμεῖς τε καὶ οἱ ἄλλοι πάντες κοινῇ κατὰ τὸν νόμον τοὺς τετελευτηκότας ἀπολοφυράμενοι ἄπιτε.*

Ps.-Lys. II 81: *ὅμως δ' ἀνάγκη τοῖς ἀρχαίοις ἔθεσι χρῆσθαι καὶ θεραπεύοντας τὸν πάτριον νόμον ὀλοφύρεσθαι τοὺς θαπτομένους.*

[Ps.-Dem. LX 37: *ὑμεῖς δ' ἀποδυράμενοι καὶ τὰ προσήκονθ' ὡς χρὴ καὶ νόμιμα ποιήσαντες ἄπιτε.*]

Thucydides in praedicationem rei publicae confert. Ceterae orationes funebres adhuc conservatae: Gorgiae fragmentum, Platonis Menexenus, Ps.-Lysiae et Ps.-Demosthenis epitaphii, cum nihil nisi declamationes rhetoricae essent, talibus ornamentis optime uti potuerunt, quae in orationem re vera habitam recepta frigore auditores offendissent. — Sed iam ad singulas partes transeo.

II. De Leosthenis persona.

Iam in primis prooemii verbis aliquid novi invenimus, nam omnibus rebus orator ducis nomen praeponit § 1: *τῶν λόγων τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι . . . [περί τε] Λεωσθένους τοῦ στρατηγοῦ καὶ περὶ τῶν ἄλλων . . .* Hyperides adeo ducem laudibus extollit, ut non dubitem dicere totam orationem illius laude contineri. Sed examinemus, quo modo hoc fiat. In partitione argumenti Hyperides, cum de singulis laudis partibus agit, affirmat § 3 Leosthenem propria laude dignum esse, *τῆς τε γὰρ προαιρέσεως εἰσηγητὴς τῇ πόλει ἐγένετο, καὶ τῆς στρατείας ἡγεμὼν τοῖς πολίταις κατέστη.* Postquam brevissime de re publica tractatum est § 4/5, orator § 6 proponit res antea ab ea gestas sibi omittendas esse *πε[ρὶ δὲ Λεωσθέν]ους καὶ τῶν ἄ[λλων τοὺς λόγ]ους ποιήσομ[αι.* Deinde nonnullis sententiis de origine atque educatione defunctorum § 7/8 prolatis Hyperides se ad propositum convertit et in prima eius laudationis parte §§ 9—14 praecipue Leosthenis facta praedicat: *ἄρξομαι δὲ πρῶτον ἀπὸ τοῦ στρατηγοῦ.* Cum enim optime intellexerit talem laudationem maxime ab usu communi digredi, mox hanc innovationem defendens verba adnectit: *καὶ γὰρ δίκαιον*, et plane exponit, quibus de causis duci talem laudem tributurus sit. Leosthenes enim § 10 miserum Graeciae statum videns *[ἐπέ]δωκεν ἑαυτὸν μὲν τῇ πατρίδι, τὴν δὲ πόλιν τοῖς Ἕλλησιν εἰς τὴν ἐλευθερίαν.* Saepius apud Demosthenem similem laudis causam invenimus cf. XVIII 88: *τίς δ' ὁ τῇ πόλει λέγων καὶ γράφων καὶ πράττων καὶ ἁπλῶς*

ἑαυτὸν εἰς τὰ πράγματ' ἀφειδῶς δούς; ἐγώ. Dem. XVIII 97, 179, 197, 219, 274, XX, 51. Miser Graeciae status etiam ab Isocrate depingitur, cf. V 111: *ἐκεῖνος γὰρ ὁρῶν τὴν Ἑλλάδα πολέμων καὶ στάσεων καὶ πολλῶν ἄλλων κακῶν μεστὴν οὖσαν* . . . Deinde mercennarios conduxit, dux civium Atheniensium exstitit, hostes in eorum ipsorum regionibus vicit, Thermopylas occupavit, Antipatrum Graeciam intrare prohibuit, obsidione clausit, socios sibi conciliavit et laetos principatui suo subiunxit, tamen fatum effugere non potuit, sed nihilo minus etiam de rebus iam post suam mortem actis optime meritus est. — Et re vera nobis quoque patet haec facta maxima esse et eximia laude digna.

Sed Hyperides orator publicus creatus mandatum habuit a populo, ut orationem in omnium defunctorum honorem pronuntiaret, et iam huius officii memor de ceteris civibus occisis verba facere incipit § 15, quorum laudationem eleganter cum laude imperatoris conectit, nam si dux laudatur qui nihil sine militibus efficere potest, eo ipso milites laudantur[1]. — Sequitur laus omnium occisorum, inter quos Leosthenes primus habetur (§ 14: *αὐτῷ[πρώ]τῳ*); adumbrantur praeclara facta atque virtus, et denuo § 24 ducis nomen profertur, qui milites ad perseverandum impellebat. Tum iam defuncti beati praedicantur, qui digni sint, ut a poetis et oratoribus laudibus celebrentur; hic quoque § 34 verba fiunt *περὶ Λεωσ[θένους τ' αὐτοῦ] καὶ τῶν τ[ελευτησάντων ἅμα]*. Denique §§ 35—39 beatitudinis praedicationem fere propriam ducis habemus, qui cum heroibus belli Troiani, cum bellorum Persicorum ducibus virtute insignibus comparatur, quos omnes suis factis superavisse dicitur. Sine dubio Harmodium atque Aristogitonem pergit in Proserpinae aedibus Leosthenem militesque eius, qui non solum Athenas, sed

[1] De quo loco Buecheler: Coniectanea, N. Jahrb. f. kl. Philol. 1875, p. 308: quanto plus verborum quam sententiarum. — Et supra: vellem sequi possem exemplum eorum qui ex Horatio tollunt quae fastidiunt aut non intellegunt, abrogarem enim Hyperidi orationem funebrem, quod parum digna mihi videtur occasione illa et aetate ipsiusque ingenio oratoris *ἐπίδειξις*. — Quibus verbis assentiri non possum, cum oratio mihi, quamquam ornamentis generis demonstrativi non caret, defunctis et Hyperidi conveniens videatur.

universam Graeciam liberaverint, recepturos et choris suis impositoros esse.

Novum in hoc epitaphio est, quod omnino de uno cive separatim fit mentio, quod non solum nomen eius profertur, sed summis laudibus ornatur, ita ut ei in partitione itemque in laudatione propria pars tribuatur. Facta ducis exponuntur: propriis notis ea, quae Leosthenem ad bellum suscipiendum incitaverint, deinde status Graeciae, proelia, pericula depinguntur; principatus eius Philippi atque Alexandri tyrannidi opponitur, maxima ducis etiam de rebus post eius mortem confectis merita exponuntur. Denique nova est tam ampla comparatio cum heroibus priorum temporum. — In plurimis partibus Leosthenis persona plurimum valet, etiamsi una cum duce milites quoque celebrantur, nam eorum laudatio, ut ita dicam, laudi Leosthenis postponitur. cf. § 1: [*περί τε*] *Λεωσθένους τοῦ στρατηγοῦ καὶ περὶ τῶν ἄλλων τῶν μετ' ἐκείνου τετελευτηκότων*. § 6: *πε[ρὶ δὲ Λεωσθέν]ους καὶ τῶν ἄ[λλων*. § 15. § 24: *Λεωσθένη καὶ τοὺς τῷ τοιούτῳ στρατηγῷ προθύμως συναγωνιστὰς σφᾶς αὐτοὺς παρασχόντας*. § 35: *τίνες οἱ τὸν ἡγεμόνα δεξιωσόμενοι τὸν τούτων*. § 35: *ὁ δὲ μετὰ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος μόνης*. § 36: *ὁ δὲ . . . μετὰ τῶν συνθαπτομένων νῦν αὐτῷ ἀνδρῶν*. § 39: *Λεωσθένη καὶ τοὺς ἐκείνῳ συναγωνισαμένους*.

Nulla alia oratione funebri singuli viri celebrantur, qua de re eximiis causis commotum Hyperidem hac innovatione usum esse cogimur existimare. Quaeritur itaque, satisne idoneas causas orator attulerit. Plane sufficere mihi videntur; sunt enim in Leosthenis de bello Lamio promeritis, quae narrationis loco enumerantur, iamque antiquis scriptoribus patebant, cf. Diod. XVIII.13: *ταφέντος* (sc. *Λεωσθένους*) *ἡρωϊκῶς διὰ τὴν ἐν τῷ πολέμῳ δόξαν*. — Sunt qui affirment[1], hanc nimiam unius civis laudationem testimonium esse labentis iam imperii popularis, nam prioribus temporibus talem praecipuam unius viri laudem inauditam neque unquam concessam fuisse. Ad quod explicandum Girard: Études sur l'éloquence attique, p. 218/19 hisce verbis

[1] **Jules Girard: Études sur l'éloquence attique, Paris 1874, pp. 213—222. — Blass l. c. III$^2_2$ p. 93.**

utitur: „C'eût été une demi-apothéose; c'était en tout cas la substitution d'un homme à la patrie dans une solennité qu'elle avait instituée pour elle même. Cette substitution n'était possible que parce que la patrie, à cette triste époque, était près de disparaître avec les deux élements essentiels de l'ancienne societé politique: la liberté, mère de la virilité, de la dignité, du devoûment, et la religion, lien primitif de la famille, de la tribu et de la cité."

Concedo his verbis aliquid veri inesse. Iam ipsi Graeci tum profitebantur democratiam iam non eodem in flore atque antiquis temporibus esse. Ita Demosthenes XXIII 196 de ducibus olim tributis honoribus dicit: *πρῶτον μὲν τοίνυν ἐκεῖνοι Θεμιστοκλέα τὸν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν νικήσαντα καὶ Μιλτιάδην τὸν ἡγούμενον Μαραθῶνι καὶ πολλοὺς ἄλλους, οὐκ ἴσα τοῖς νῦν στρατηγοῖς ἀγάθ' εἰργασμένους, οὐ χαλκοῦς ἵστασαν οὐδ' ὑπερηγάπων*, et ibidem § 198 pergit: *καὶ γάρ τοι τῶν ἔργων τῶν τότ', ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐδενὸς ἀπεστέρησαν ἑαυτούς, οὐδ' ἔστιν οὐδεὶς ὅστις ἂν εἴποι τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν Θεμιστοκλέους, ἀλλ' Ἀθηναίων, οὐδὲ τὴν Μαραθῶνι μάχην Μιλτιάδου, ἀλλὰ τῆς πόλεως. νῦν δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πολλοὶ τοῦτο λέγουσιν, ὡς Κέρκυραν εἷλε Τιμόθεος καὶ τὴν μόραν κατέκοψεν Ἰφικράτες καὶ τὴν περὶ Νάξον ἐνίκα ναυμαχίαν Χαβρίας· δοκεῖτε γὰρ αὐτοὶ τῶν ἔργων τούτων παραχωρεῖν τῶν τιμῶν ταῖς ὑπερβολαῖς αἷς δεδώκατ' ἐπ' αὐτοῖς ἑκάστῳ τούτων.* Denique Demosthenes cum de Cononis maximis de re publica meritis agit, de honoribus soli ei praebitis loquitur, cf. XX 69/70: *καὶ γάρ τοι μόνῳ τῶν πάντων αὐτῷ τοῦτ' ἐν τῇ στήλῃ γέγραπται . . . διόπερ οὐ μόνον αὐτῷ τὴν ἀτέλειαν ἔδωκαν οἱ τότε, ἀλλὰ καὶ χαλκῆν εἰκόνα, ὥσπερ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος, ἔστησαν πρώτῳ.*

Hactenus sententiis illis supra allatis assentiri possum, sed Girard et Blass eorum factorum, quibus Leosthenes de re publica meritus est, non satis rationem habere mihi videntur. Nam merita sine dubio maxima erant praetereaque dux ipse pro patria et universa Graecia pugnans mortem obiit. Num mirum est, quod Hyperides eum summis laudibus extollit? Nullam aliam orationem funebrem habemus, quae ad sepulturam

militum et ipsius ducis accommodata sit; quapropter eam quaestionem, sitne haec laudatio inaudita, non tam certe diiudicare licet. Prioribus temporibus dux occisus fortasse talem laudem assecutus non est, tamen solis moribus mutatis haec innovatio sane non probatur, cum Hyperides ipse orator incorruptus et in re publica bene versatus fuerit et maxime priorem Athenarum magnitudinem admiratus sit. Leosthenis facta atque mors plurimas causas ad talem laudem prabbebant. Accedit praeterea, quod orator ipse factionis Macedonibus infestae socius et Leostheni amicitia coniunctus erat: *ἐκοινώνησε δὲ καὶ Λεωσθένει τοῦ Λαμικοῦ πολέμου* (Ps.-Plut. Vitae X orat. p. 849 e). Itaque non dubito, quin Hyperides et pariter auditores hanc laudem meritam esse censuerint. Quod Girard dicit: „c'était en tout cas la substitution d'un homme à la patrie dans une solennité qu'elle avait instituée pour elle même," nequeo ei assentiri. Nam honores, caerimoniae, laudationes funebres sine dubio in defunctorum honorem institutae sunt; posterioribus temporibus, praecipue declamationibus, cf. Plat. Menex. 237 c_5—246 a_5 et Ps.-Lys. §§ 17—66, cum nulli occisi laudandi essent laudesque patriae et maiorum maxime valerent, hoc sollemne ad patriam ornandam usurpatum est. Praeterea etiam ceteri milites maxime celebrantur, quod primum orationis funebris officium est; inter eos Leosthenes primum locum tenet, tamen plerumque una cum militibus nominatur, cf. §§ 1, 6, 15, 24, 34, 35, 36, 39. Oratori bello modo peracto defunctos laudanti maximus honos ipsis nuper defunctis tribuendus erat, quod aliquantum apud Thucydidem videmus, cui tamen res publica extollenda summae curae est. Hyperides mortuos primo loco ponit, sed etiam rei publicae debitam laudem praebet. Rite has quaestiones exponit A. Croiset: „Il (sc. Léosthène) est mis à part, hors rang, pour ainsi dire, et presque sur la même ligne qu' Athènes elles mêmes; nous sommes loin de l'oraison funèbre de Thucydide, avec ses héros anonymes et la grande image de la cité dominant tout; il est curieux de voir l'individu grandir ainsi dans l'amoindrissement de la collectivité.[1]"

---

[1] A. Croiset: Histoire de la littérature grecque, Paris 1900, T. IV, p. 611.

Girard l. c. p. 215 de illo orationis loco § 15: *καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ με τῶν ἄλλων πολιτῶν μεδένα λόγον ποιεῖσθαι, [ἀλλα] Λεωσθένη μόνον ἐγκωμιάζειν,* iudicat: „Cependant, demande l'orateur par un scrupule démocratique, les autres Athéniens qui sont tombés aussi sur le champ de bataille ne sont-ils pas sacrifiés dans ce panégyrique exclusif?“ — Non possum intelegere, qua de causa Girard hanc praemunitionem utique democratica e ratione natam esse velit. Hyperides a populo orator creatus est, ut defunctos, scilicet omnes, oratione funebri praedicaret, non ipse sua sponte exstitit, ut amicum suum Leosthenem laudaret. E qua re patet ei necesse fuisse etiam de aliis civibus verba facere. Itaque ducis, cuius facta maxima sunt, laudem primum profert, deinde ad laudem militum transit, optime utramque laudationem coniungit, cum declarat ducem sine militibus nil perficere posse neque gloriam ac laudem acquirere, qua de causa in ducis laude etiam militum laudem conclusam esse. Si talem omnium civium occisorum laudem non protulisset, propinquos mortuorum certe graviter offendisset. Ea de re persaepe militum praedicationem laudi ducis adnectit, e quo patet oratorem propositionem, cf. § 6, sequi: *πε[ρὶ δὲ Λεωσθέν]ους καὶ τῶν ἄ[λλων τοὺς λόγ]ους ποιήσομ[αι.* Animadversione dignum est, quod milites crebro voce: *οἱ ἄλλοι* appellantur, cf. §§ 1, 6, 15 ter.

III. De militum laudatione.

Laudatio, qua ceteri milites ornantur, incipitur statim primis epitaphii verbis, quibus orator affirmat nunquam res clariores virosve fortiores visos esse. Haec altera superlatione § 2 augentur, cum orator asseverat difficillimum esse aequam talibus factis laudem verbis pronuntiare; quo dicto etiam benevolentiam auditorum captare conatur. Huius modi dubitationes nequaquam rarae sunt, etiamsi interdum aliis causis explicantur. Thucydides II 35 Pericli tribuit verba: . . . *μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ*

πολλῶν ἀρετὰς κινδυνεύεσθαι εὖ τε καὶ χεῖρον εἰπόντι πιστευθῆναι. χαλεπὸν γὰρ τὸ μετρίως εἰπεῖν ἐν ᾧ μόλις καὶ ἡ δόκησις τῆς ἀληθείας βεβαιοῦται. ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ' ἄν τι ἐνδεεστέρως πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται νομίσειε δηλοῦσθαι, ὅ τε ἄπειρος ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι, διὰ φθόνον, εἴ τι ὑπὲρ τὴν αὑτοῦ φύσιν ἀκούοι[1].

Similiter ipse Hyperides § 4 affirmat neque tempus neque unius hominis vires ad tantam laudem maiorum proferendam sufficere, qualia verba etiam apud alios scriptores et oratores persaepe inveniuntur, cf. Plat. Menex. 239b, 240a/b. Phaed. 108d, 114c, Tim. 19d, Ps.-Lys. II 1: *ἐπειδὴ δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ πᾶς χρόνος οὐχ ἱκανός λόγον ἴσον παρασκευάσαι τοῖς τούτων ἔργοις.* ibid. 54: *τίς γὰρ ἂν ἢ λόγος ἢ χρόνος ἢ ῥήτωρ ἱκανὸς γένοιτο μηνῦσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων ἀνδρῶν ἀρετήν;* Lys. XII 99. Persaepe tali superlatione utitur Demosthenes, cf. XIV 1: *οἱ μὲν ἐπαινοῦντες, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς προγόνους ὑμῶν λόγον εἰπεῖν μοι δοκοῦσιν προαιρεῖσθαι κεχαρισμένον, οὐ μὴν συμφέροντα γ' ἐκείνοις οὓς ἐγκωμιάζουσι ποιεῖν· περὶ γὰρ πραγμάτων ἐγχειροῦντες λέγειν ὧν οὐδ' εἷς ἀξίως ἐφικέσθαι τῷ λόγῳ δύναιτο, αὐτοὶ μὲν τοῦ δοκεῖν δύνασθαι λέγειν δόξαν ἐκφέρονται, τὴν δ' ἐκείνων ἀρετὴν ἐλάττω τῆς ὑπειλημμένης παρὰ τοὺς ἀκούοντας φαίνεσθαι ποιοῦσιν.* Dem. XX 76, XXI 126, 131. Isocr. IX 34, 48, XII 36: *οὐκ ἀγνοῶ δ' ἡλίκος ὢν ὅσον ἔργον ἐνίσταμαι τὸ μέγεθος, ἀλλ' ἀκριβῶς εἰδὼς καὶ πολλάκις εἰρηκώς, ὅτι τὰ μὲν μικρὰ τῶν πραγμάτων ῥᾴδιον τοῖς λόγοις αὐξῆσαι, τοῖς δ' ὑπερβάλλουσι τῶν ἔργων καὶ τῷ μεγέθει καὶ τῷ κάλλει χαλεπὸν ἐξισῶσαι τοὺς ἐπαίνους. ἀλλ' ὅμως οὐδὲν μᾶλλον ἀποστατέον αὐτῶν ἐστὶν ἀλλ' ἐπιτελεστέον.* XII 137, XIV 4, Aesch. I 140, III 260, Isae. III 11.

Quibus superlationibus praemissis orator § 3 iam ad ipsam defunctorum virtutem praedicandam accedit, qui laude digni sint *τῆς ἀνδρείας τῆς ἐν τῷ πολέμῳ, τὸ μὴ καταισχῦναι τὰς τῶν*

---

[1] [Ps.-Dem. LX 1: *ἐσκόπουν μὲν εὐθὺς ὅπως τοῦ προσήκοντος ἐπαίνου τεύξονται, ἐξετάζων δὲ καὶ σκοπῶν ἀξίως εἰπεῖν τῶν τετελευτηκότων ἕν τι τῶν ἀδυνάτων εὕρισκον ὄν . . . ἀνυπέρβλητον παντὶ λόγῳ τὴν αὐτῶν ἀρετὴν καταλελοίπασιν.*]

[2] [Ps.-Dem. LX 6.]

προγόνων ἀρετάς. Virtutis laudatio saepe eo argumento utitur, quod laudandi maiores aemulati sint, cum a maioribus tradita mittere turpe sit, cf. Ps.-Lys. II 61: *καινοῖς κινδύνοις τὴν παλαιὰν ἀρετὴν τῶν προγόνων μιμησάμενοι*, et ibid. 69: *παιδευθέντες μὲν ἐν τοῖς τῶν προγόνων ἀγαθοῖς, ἄνδρες δὲ γενόμενοι τήν τε ἐκείνων δόξαν διασώσαντες*. Dem. X 73, XI 21/22, XIII 34: *αἰσχρὸν λιπεῖν τὴν τοῦ φρονήματος τάξιν, ἥν ὑμῖν οἱ πρόγονοι παρέδωκαν*. Dem. XIV 41, XV 32/33, XVIII 210, XX 10, 76. Isocr. VII 73, 76, IX 80. Din. I 16, 39, 75, III 21.

Origo Atheniensium igitur etiam defunctorum praeclara est, nam constat Athenienses *αὐτόχθονας εἶναι*. Ubicunque de genere Atheniensium verba fiunt, mentio de indigena incolarum Atticae origine non omittitur. Videlicet in orationem funebrem haec originis laudatio ex encomiis singulorum hominum se insinuavit, quibuscum altera epitaphii pars, laudatio, omnino comparanda est. Itaque apud plurimos auctores de hac origine agitur, cf. Thuc. II 36: *τὴν γὰρ χώραν οἱ αὐτοὶ ἀεὶ οἰκοῦντες*, ille enim ipso vocabulo *αὐτόχθονες* non utitur. Plat. Menex 237 b: *τῆς δὲ εὐγενείας πρῶτον ὑπῆρξε τοῖσδε ἡ τῶν προγόνων γένεσις οὐκ ἔπηλυς οὖσα, οὐδὲ τοὺς ἐκγόνους τούτους ἀποφηναμένη μετοικοῦντας ἐν τῇ χώρᾳ ἄλλοθεν σφῶν ἡκόντων, ἀλλ' αὐτόχθονας καὶ τῷ ὄντι ἐν τῇ πατρίδι οἰκοῦντας καὶ ζῶντας, καὶ τρεφομένους οὐχ ὑπὸ μητρυιᾶς ὡς ἄλλοι, ἀλλ' ὑπὸ μητρὸς τῆς χώρας ἐν ᾗ ᾤκουν, καὶ νῦν κεῖσθαι τελευτήσαντας ἐν οἰκείοις τόποις τῆς τεκούσης καὶ θρεψάσης καὶ ὑποδεξαμένης*. Pol. 414 d/e, 470 d, Protag. 321 c, Tim. 23 d. Ps.-Lys. II 17, 43. Lyc. Leocr. 41, 47, ibid. 100 Eur. Erechth. frgm. 362 v. 8. Dem. XIX 261[1]. Isocr. IV 24, 25, 63, VIII 49, 89, XII 124/5: *ὄντας δὲ μήτε μιγάδας μήτ' ἐπήλυδας ἀλλὰ μόνους αὐτόχθονας τῶν Ἑλλήνων, καὶ ταύτην ἔχοντας τὴν χώραν τροφόν, ἐξ ἧσπερ ἔφυσαν*. Din. I 109. Aesch. III 190, quo loco adhibetur epigramma continens verba: *παλαίχθων δῆμος Ἀθηναίων*.

Defuncti optime instituti atque eruditi sunt, quo factum est, ut se viros optimos praestarent, cf. Plat. Menex. 238 c, 239 a, Protag. 351 b. Ps.-Lys. II 3, 20, 69: *παιδευθέντες μὲν ἐν τοῖς*

[1] [Ps.-Dem. LX 4].

τῶν προγόνων ἀγαθοῖς, ἄνδρες δὲ γενόμενοι τήν τε ἐκείνων δόξαν διασώσαντες. Isocr. VII 40, 82: *ὑπὸ μὲν ἐκείνης τῆς εὐταξίας οὕτως ἐπαιδεύθησαν οἱ πολῖται πρὸς ἀρετήν, ὥστε σφᾶς μὲν αὐτοὺς μὴ λυπεῖν, τοὺς δ' εἰς τὴν χώραν εἰσβάλλοντας ἅπαντας μαχόμενοι νικᾶν.* XII 198. Aesch. I 11: *ὁ νομοθέτης ἡγήσατο τὸν καλῶς τραφέντα παῖδα ἄνδρα γενόμενον χρήσιμον ἔσεσθαι τῇ πόλει.* Eur. Suppl. v. 911 sqq.[1].

Cum viros bonos se praebuerint, hac virtute laus defunctorum inniti potest, quod fit in Plat. Menex. 242 b, 243 c. Ps.-Lys. II 25, 51. Lys. XII 97. Isocr. IV 82, 96, XV 99.

Deinde orator revertitur ad maximam orationis partem — laudationem, qua sibi ad demonstrandum proponit § 9: *ἀρετὴν καὶ ὡς πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιοι γεγένηνται τῇ πατρίδι καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι.* Quod si exponi poterit, iam eo ipso summa laus, quam cives Athenienses adipisci possunt, edicta erit; quae quanti ponderis in Graecia fuerit, ex illis permultis auctorum similibus locis patet: Ps.-Lys. II 16, 70: *πολλῶν μὲν γὰρ καὶ καλλῶν αἴτιοι γεγένηνται τῇ ἑαυτῶν πατρίδι.* Lys. V 3, XXV 6. Isocr. IV 22, 73, 75: *πλείστων μὲν οὖν ἀγαθῶν αἰτίους καὶ μεγίστων ἐπαίνων ἀξίους ἡγοῦμαι γεγενῆσθαι τοὺς τοῖς σώμασιν ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος προκινδυνεύσαντας.* ibid. 100, 189. VI 44. VIII 140[2].

Factis Leosthenis enarratis Hyperides § 15 asseverat omnes milites laudis eius participes esse: consilia enim capere ducis esse, victorias autem reportare non posse nisi *τοὺς κινδυνεύειν ἐθέλοντας τοῖς σώμασιν*[3]. Saepius milites laudantur, quod corporibus pericula subierint, cf. Thuc. II 42, 4: *τὸ δ' ἔργον τῷ σώματι ὑπέμειναν,* II 43, 2: *κοινῇ γὰρ τὰ σώματα διδόντες.* Ps.-Lys. II 25. Dem. XVI 12: *τοῖς σώμασι κινδυνεύειν.* XXI 145: *τῷ σώματι τὴν εὔνοιαν, οὐ χρήμασιν οὐδὲ λόγοις ἐνεδείξατο τῇ πατρίδι.* Isocr. IV 75, VIII 47: *τοῖς αὐτῶν σώμασιν ᾤοντο δεῖν*

---

[1] [Ps.-Dem. LX 3].

[2] [Ps.-Dem. LX 10: *κοινῆς σωτηρίας πᾶσι τοῖς Ἕλλησι αἴτιοι κατέστησαν.* ibid. 20].

[3] Eadem ratione laudationem patriae et praedicationem militum inter se conectit Plato Menex. 237 c: *δικαιότατον δὴ κοσμῆσαι πρῶτον τὴν μητέρα αὐτήν. οὕτω γὰρ συμβαίνει ἅμα καὶ ἡ τῶνδε εὐγένεια κοσμουμένη.*

κινδυνεύειν. Aesch. III 190 epigramma: *κίνδυνον σώμασιν ἀράμενοι*[1].

Summa laude dignum est, quod defuncti pro communi salute mortem obierunt § 16. Qui locus plane ad laudem augendam idoneus atque orationem funebrem valde decens etiam communis est: Thuc. II 41, 5: *περὶ τοιαύτης οὖν πόλεως οἵδε τε γενναίως δικαιοῦντες μὴ ἀφαιρεθῆναι αὐτὴν μαχόμενοι ἐτελεύτησαν.* Ps.-Lys. II 25: *καὶ τῶν μὲν σωμάτων ἀφειδήσαντες, ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐ φιλοψυχήσαντες.* ibid. 62, 71. Lyc. Leocr. 46: *ἐκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως τὰς ψυχὰς ⟨τὰς⟩ αὐτῶν ἀνήλωσαν.* ibid. 107 frgm. Tyrtaei 8 (Hiller-Crusius). Dem. XVIII 205. Isocr. VI 104/5[2].

Pugnae apud Thermopylas et ad Lamiam commissae magnam gloriam defunctis praebiturae sunt § 18, quia in illa loca quotannis Amphictyones convenire solent et ibi defunctorum virtutis reminiscentur. Nunquam enim homines quidam cum tanta multitudine hostium, nunquam de rebus magis egregiis pugnaverunt, virtutem pro vi, fortitudinem pro multitudine ponentes § 19. De huius modi superlationibus iam supra ad § 1 egi; hoc autem loco multo amplior sententia comprehenditur. Primum est, quod pauci plurimis hostibus restitisse dicuntur. Quae rhetorica affirmatio verum non servat, aliorum autem oratorum exemplum respicit, cf. Plat. Menex. 241 a: *οἱ μὲν γὰρ Μαραθῶνι τοσοῦτον μόνον ἐπεδείξαντο τοῖς Ἕλλησι, ὅτι κατὰ γῆν οἷόν τε ἀμύνεσθαι τοὺς βαρβάρους ὀλίγοις πολλούς.* Ps.-Lys. II 10, 20: *μόνοι γὰρ ὑπὲρ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος πρὸς πολλὰς μυριάδας τῶν βαρβάρων διεκινδύνευσαν.* ibid. 23, 24, 40, 41. Isocr. IV 71/72, 86: *ὀλίγοι πρὸς πολλὰς μυριάδας.* IV 97, V 111/2, IX 32. Sed tamen constat Graecos apud Thermopylas Antipatri exercitum multitudine superavisse; nam Leostheni erant octo milia mercennariorum (Diod. XVIII 9, 1), ad quos accedebant septem milia Aetolorum (Diod. XVIII 9, 5). Exercitus Atheniensium, cuius dux Leosthenes factus est, erat

[1] [Ps.-Dem. LX 18].

[2] [Ps.-Dem. LX 1, 18: *εἰς πεῖραν ἦλθον ἀγῶνος, εἰς ὃν οὐδὲ τῆς ψυχῆς ἐφείσαντο.* ibid. 28, 31.].

quinque milium civium, quingentorum equitum, duorum milium conducticiorum (Diod. XVIII 11, 3). Denique Leosthenes socios sibi coniunxit Phocios (Diod. XVIII 9, 5. Hyp. epit. § 13), Locros (Diod. XVIII 9, 5) Thessalosque equitatu excellentes (Diod. XVIII 12, 3—4. Hyp. epit. § 13). De multitudine omnium copiarum testimonium iuvenimus apud Iustinum XIII 5, 8: „Athenienses contracto XXX milium exercitu et ducentis navibus bellum cum Antipatro, cui Graecia sorte evenerat, gerunt.“ Antipater (Diod. XVIII 12, 2) primo habebat tredecim milia Macedonum sescentosque equites, ita ut Diodorus XVIII 12, 4 dicere posset: *μεγάλης δὲ δυνάμεως ταύτης* (sc. *τῶν Θετταλῶν*) *τοῖς Ἀθηναίοις προσγεγενημένης, οἱ μὲν Ἕλληνες ἐκράτουν πολὺ τῶν Μακεδόνων ὑπερέχοντες.* Deinde autem, cum suis copiis Leonnati exercitum, qui erat peditum plus viginti milium et duorum milium quingentorum equitum (Diod. XVIII 14, 5), adiunxisset, utique pedite Antiphilum non equitatu praestabat[1], cum ille haberet viginti duo milia peditum et plus tria milia et quingentos equites (Diod. XVIII 15, 2).

Praeterea legimus § 19: *οὐδένες γὰρ πώποτε ... περὶ καλλιόνων ... ἠγωνίσαντο, τὴν ἀρετὴν ἰσχὺν καὶ τὴν ἀνδρείαν πλῆθος, ἀλλ' οὐ τὸν πολὺν ἀριθμὸν τῶν σωμάτων εἶναι κρίνοντες.* cf. Thuc. II 39, 1: *πιστεύοντες οὐ ταῖς παρασκευαῖς τὸ πλέον καὶ ἀπάταις ἢ τῷ ἀφ' ἡμῶν αὐτῶν ἐς τὰ ἔργα εὐψύχῳ.* Plat. Menex. 240 d: *πᾶν πλῆθος καὶ πᾶς πλοῦτος ἀρετῇ ὑπείκει.* Ps.-Lys. II 23, 50. Lyc. Leocr. 47, 108: *καὶ καταφανῆ ἐποίησαν τὴν ἀνδρείαν τοῦ πλούτου καὶ τὴν ἀρετὴν τοῦ πλήθους περιγιγνομένην.* Isocr. IV 72, 91: *τὴν ἀρετὴν τοῦ πλήθους περιγιγνομένην.* [Demad.] *ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας* 11[2].

Denique milites illi § 19 pro communi salute certandum

---

[1] cf. Beloch: Griechische Geschichte III 1 p. 72/73, p. 74/75.

[2] Cui loco propinqua est crebra apud oratores sententia, qua affirmatur homines de iustitia atque libertate periclitantes has meliores quam multitudinem socios habere; ambo enim dicta de praeponderantibus animi viribus agunt. cf. Ps.-Lys. II 10: *πολλοὺς μὲν πολεμίους κτώμενοι, τὸ δὲ δίκαιον ἔχοντες σύμμαχον ἐνίκων μαχόμενοι.* ibid. 41, 62. Dem. VIII 66 (X 69): *πόλεως γὰρ ἔγωγε πλοῦτον ἡγοῦμαι συμμάχους, πίστιν, εὔνοιαν.* XI 2, XIV 35. Isocr. XIV 40. Din. III 19.

esse putabant et sua virtute patriam Athenas quasi corona ornaverunt.

Operae pretium esse pergit orator §§ 20 sqq. cogitatione sibi fingere, quid, si Macedones vicissent, evenisset: omnem Graeciam hostes depopulati essent, liberis et mulieribus vim intulissent, totus mundus in unius viri potestate fuisset. De qua eximia hostium potestate etiam loquuntur Plato, cf. Menex. 240 a. Ps.-Lys. II 5. Isocr. IV 88, 127. Dem. XVIII 72. Aesch. III 132: *ὁ μὲν τῶν Περσῶν βασιλεύς, . . . ὁ τολμῶν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς γράφειν, ὅτι δεσπότης ἐστὶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἀφ' ἡλίου ἀνιόντος μέχρι δυομένου.* — Victorum insolentia cladisque imago usu traditis calamitatis summae notis depicta esse mihi videtur, cf. Dem. XVII 3, XIX 309, XXIII 141. Isocr. IV 114, XII 259. Din. I 24, 65, III 2. Aesch. III 157: *καὶ νομίσαθ' ὁρᾶν ἁλισκομένην πόλιν, τειχῶν κατασκαφάς, ἐμπρήσεις οἰκιῶν, ἀγομένας γυναῖκας, [καὶ] παῖδας εἰς δουλείαν, πρεσβύτας ἀνθρώπους, πρεσβύτιδας γυναῖκας ὀψὲ μεταμανθάνοντας τὴν ἐλευθερίαν...* Qua de causa talis cladis eventus verisimilis sit, ex iis rebus demonstratur, quae iam fiant: deorum enim cultus neglegi, homines divinis honoribus affici, servos victorum pro heroibus coli. Qui locus illam Demadis sententiam[1] respicere videtur, qua a. 324 populo commendavit, ut Alexandro talem cultum tribuerent, cf. Val. Max. VII 2 ext. 13. Deinde concludit hostes, qui a sacrilegiis non abhorreant, adversus homines ad omnia facinora paratos censendos esse, ita ut non dubium sit, quin totam Graeciam dissoluturi fuerint. Quanto igitur maiora mala Graecis metuenda fuerint, tanto pluribus laudibus mortuos dignos habendos esse. Milites, cum bellum tempore hiberno gereretur, frigus et inopiam ferre coacti omnia firmo animo perpessi sunt, *ὥστε καὶ τῷ λόγῳ χαλεπὸν εἶναι φράσαι.* Superlatio haec similis est illis, de quibus iam supra actum est, cf. §§ 1, 19; tamen nonnullae propriae notae accedunt, cum de incommodis toleratis agitur, cf. Plat. Menex. 241 a. Dem. VIII 44 (X 15): *καὶ πόνους καὶ χειμῶνας καὶ τοὺς ἐσχάτους κινδύνους ὑπομένειν.* Isocr. XII 191/2: *ἐφ' ὧν καὶ πόλεμοι πλεῖστοι καὶ κίνδυνοι*

[1] cf. Girard l. c. p. 221.

μέγιστοι συνέπεσον, οὓς ἅπαντας μὲν οὐδ' εὑρεῖν οὔτ' εἰπεῖν ἂν δυνηθείην. — E quibus locis concludo notas, quibus Hyperides ad pericula depingenda utitur, proprias et e rebus nuper gestis sumptas esse, quamquam alii quoque pericula superata exponunt; nam omnia facta historica respiciunt. Nihilo minus huic. descriptioni etiam rhetoricae notae immiscentur, quae in frigidis superlationibus apparent, cf. §§ 19, 22, 23.

Sententia, qua facta quaedam sive res maiores dicuntur, quam ut verbis aequari possint § 23, etiam passim invenitur, cf. Dem. VI 11, VIII 62 (X 64): *οὐδ' ἂν εἰπεῖν δύναιτ' οὐδεὶς ὅσα.* XIX 65. Isocr. IV 82: *ὥστε μηδένα πώποτε δυνηθῆναι περὶ αὐτῶν μήτε τῶν ποιητῶν μήτε τῶν σοφιστῶν ἀξίως τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων εἰπεῖν.*

His exclamationi similibus verbis prima pars encomii, i. e. propria laudatio concluditur. Si hanc partem cum laudationibus a ceteris orationum funebrium auctoribus prolatis comparamus, concedere cogimur ubique traditam formam ab Hyperide servatam usitatasque sententias nusquam omissas, sed tamen alio, proprio ingenio perfusas esse. De origine, de maioribus, de re publica, de educatione denique solum perpauca proferuntur, quibus brevissime perstrictis auctor ad ipsos defunctos laude ornandos contendit. Omnis laudatio id studet, ut virtutem et res pro patria gestas demonstret, quae factis defunctorum illustrantur. Laus iis augetur, quae a Graecia prohibuerint quaeque ipsi perpessi sint: cotidiana proelia, permultas pugnas, frigus inopiamque. Loca pugnarum ad laudem proferendam nominantur, affirmatur denique nullos homines pro rebus pulchrioribus dimicavisse quam illos Graeciae libertatem, Athenis honorem praebentes.

Sequitur altera pars encomii — beatitudinis praedicatio. Nonne beati iudicandi, qui libenter (*προθύμως*) ducem secuti sunt? Hanc promptam audaciam etiam alii laude dignantur, cf. Thuc. I 74: *τρία τὰ ὠφελιμώτατα εἰς αὐτὸ παρεσχόμεθα, ἀριθμόν τε νεῶν πλεῖστον καὶ ἄνδρα στρατηγὸν ξυνετώτατον καὶ προθυμίαν ἀοκνοτάτην . . . προθυμίαν δὲ καὶ πολὺ τολμηροτάτην ἐδείξαμεν.* Dem. XVIII 216: *ὑμᾶς αὐτοὺς . . . θαυμαστοὺς ἐδείξατε τῷ κόσμῳ,*

ταῖς παρασκευαῖς, τῇ προθυμίᾳ[1]. Deinde e clara morte orator concludit defunctos beatos esse, cum nunquam senescentem immortalem famam adepti sint; haec sententia, plerumque vocabulis inter se oppositis *ἀθάνατος-θνητός*, sive *θάνατος* prolata, passim animadverti potest[2]. In Hyperidis epitaphio duas tales sententias habemus, quarum altera affirmat § 42: *εὐδοξίαν ἀγήρατον εἰλήφασιν*, cf. Thuc. II 43, 2: *ἡ δόξα αὐτῶν . . . ἀείμνηστος καταλείπεται.* Plat. Menex. 236 e. Ps.-Lys. II 79: *καὶ γὰρ ἀγήρατοι αὐτῶν αἱ μνῆμαι.* Eur. Suppl. v. 1178. Simon. frgm. 85 (Hiller-Crusius)[3].

Altera profertur famam immortalem esse § 24: *θνητοῦ σώματος ἀθάνατον δόξαν ἐκτήσαντο*[4]. § 42: *ἔπαινοι παῖδες αὐτῶν ἀθάνατοι ἔσονται.* cf. Gorg. Epit. *οὗτοι γὰρ ἐκέκτηντο ἔνθεον μὲν τὴν ἀρετήν, ἀνθρώπινον δὲ τὸ θνητόν . . . τοιγαροῦν αὐτῶν ἀποθανόντων ὁ πόθος οὐ συναπέθανεν, ἀλλ' ἀθάνατος οὐκ ἐν ἀθανάτοις σώμασι ζῇ οὐ ζώντων.* Ps.-Lys. II 6, 23, 80, 81: *θνητῶν σωμάτων ἔτυχον, ἀθάνατον μνήμην διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν κατέλιπον.* Lyc. Leocr. 48, 110. Isocr. IV 84, V 134/5, VI 109, VIII 94: *τῆς αὐτῶν ἀρετῆς ἀθάνατον τὴν μνήμην κατέλιπον.* IX 70, 71. XII 260. Aesch. III 182. Simon. frgm. 1 (Hiller-Crusius). Plat. Conv. 208 d. Dem. XXII 13, 76, 77; XXIII 208, 210[5].

Invenitur quoque sententia, qua profertur claram mortem beatitudinis causam esse § 24: *διὰ τὴν τῆς ἀρετῆς ἀπόδειξιν εὐτυχεῖς μᾶλλον, ἢ διὰ τὴν τοῦ ζῆν ἀπόλειψιν ἀτυχεῖς νομιστέον,* nam, pergit, aeternam famam adepti sunt atque suis laboribus

---

[1] [Ps.-Dem. LX 18].

[2] cf. H. Meuss: Die Vorstellungen vom Dasein nach dem Tode bei den attischen Rednern. Jahrb. f. kl. Philol. 1889, p. 812.

[3] [Ps.-Dem. LX 32: *ἀντὶ μικροῦ χρόνου πολὺν καὶ τὸν ἅπαντ' εὔκλειαν ἀγήρω καταλείπουσιν*, quibus verbis fulcitur dictum: *οἱ δ' εὐδαίμονες τῷ δικαίῳ λογισμῷ*].

[4] Haec est papyri lectio; cum nullo alio loco dicatur mortale corpus ipsum immortalem famam acquisivisse, coniciunt: ⟨*ἀντὶ*⟩ *θνητοῦ σώματος* — Caesar, Fritzsche; ⟨*ἀντ*⟩*εκτήσαντο* — Maehly.

[5] [Ps.-Dem. LX 16, 27: *αἰσχρὸν οὖν ἡγοῦντο . . . φανῆναι θνητὸν σῶμα ποιούμενοι περὶ πλείονος ἢ δόξαν ἀθάνατον*].

libertatem Graeciae confirmaverunt. Alium locum, quo proferatur viros virtute praestita felices fieri, etiamsi mortem obierint, non habeo; frequentius autem demonstratur non utique vitam morti praeferendam esse, cf. Dem. II 16, XVIII 205: . . . *οὐδὲ ζῆν ἠξίουν, εἰ μὴ μετ' ἐλευθερίας ἐξέσται τοῦτο ποιεῖν.* ibid. *ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνήσκειν ἐθελήσει, καὶ φοβερωτέρας ἡγήσεται τὰς ὕβρεις καὶ τὰς ἀτιμίας, ἃς ἐν δουλευούσῃ τῇ πόλει φέρειν ἀνάγκη, τοῦ θανάτου.* XX 82. Plat. Apol. 38e. Isocr. IV 83, 95, VI 108/9, IX 3.

Multi oratores demonstrant laudandos de libertate universae Graeciae meritos esse § 24. cf. Ps.-Lys. II 44: *τῇ ἰδίᾳ ἀρετῇ κοινὴν τὴν ἐλευθερίαν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐκτήσαντο.* ibid. 47, 55/56. Lyc. Leocr. 50, 104: *τοῖς ἰδίοις κινδύνοις κοινὴν ἄδειαν ἅπασι τοῖς Ἕλλησι κτώμενοι.* Cuius rei plura exempla cf. infra p. 41/42. Hyperidi laudatio fortitudinis non satis est, sed affirmat milites propter haec facta (*ἀρετῆς ἀπόδειξις*) beatos esse, *φέρει γὰρ οὐδὲν εὐδαιμονίαν ἄνευ τῆς αὐτονομίας.*

In hac parte beatitudinis praedicationis videmus nonnullas usitatas sententias, nam agitur de nunquam senescenti sive de aeterna fama, de clara morte, de virtute pro patria praebita. Hyperides his sententiis argumentatur defunctos felices habendos esse atque laude liberae rei publicae breviter peracta accedit ad bona superstitibus a mortuis donata. Nam re publica collaudata concludit § 26 de ea servanda defunctos periclitatos esse. cf. Thuc. II 41, 5: *περὶ τοιαύτης οὖν πόλεως οἵδε τε γενναίως δικαιοῦντες μὴ ἀφαιρεθῆναι αὐτὴν μαχόμενοι ἐτελεύτησαν.* Itaque rei publicae statum stabiliverunt et suis laboribus civibus omnibusque Graecis securitatem paraverunt § 26: *τοὺς εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον φόβους τῶν πολιτῶν καὶ τῶν Ἑλλήνων παραιρούμενοι.* cf. Plat. Menex. 241b: *τὸν ἐχόμενον φόβον διέλυσαν τῶν Ἑλλήνων καὶ ἔπαυσαν φοβουμένους.*

Morte sua ceteris felicem vitam praebuerunt § 26: *τὸ ζῆν ἀνήλωσαν εἰς τὸ τοὺς ἄλλους καλῶς ζῆν*[1]. cf. Plat. Menex. 237a: *οἱ ζῶντές τε τοὺς ἑαυτῶν εὔφραινον δι' ἀρετήν, καὶ τὴν τελευτὴν ἀντὶ*

[1] cf. Plat. Crit. 48b: *οὐ τὸ ζῆν περὶ πλείστου ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν.*

τῆς τῶν ζώντων σωτηρίας ἠλλάξαντο. ibid. 246 d. Ps.-Lys. II 68. Lyc. Leocr. 46: *ἐκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως τὰς ψυχὰς ⟨τὰς⟩ αὑτῶν ἀνήλωσαν.* ibid. 47, 86, 88. Dem. XVIII 289 (*ἐπίγραμμα*). Isocr. IV 77.

Defunctorum opera parentes, liberi, propinqui benevolentiam civium et honorem assecuti sunt § 27, cf. Plat. Menex. 248 e/249 a: *τῆς δὲ πόλεως ἴστε που καὶ αὐτοὶ τὴν ἐπιμέλειαν, ὅτι νόμους θεμένη περὶ τοὺς τῶν ἐν τῷ πολέμῳ τελευτησάντων παῖδάς τε καὶ γεννήτορας ἐπιμελεῖται, καὶ διαφερόντως τῶν ἄλλων πολιτῶν προστέτακται φυλάττειν ἀρχῇ ἥπερ μεγίστη ἐστίν, ὅπως ἂν οἱ τούτων μὴ ἀδικῶνται πατέρες τε καὶ μητέρες*[1].

Quae commoda cum superstitibus morte sua praebuerint, nequaquam perisse oratori videntur, sed in meliorem statum transisse § 27; quo modo mortem ceteris hominibus odiosam hisce defunctis initium magnorum bonorum exstitisse putat § 28. Similem sententiam habemus in Platonis Apologia 40 b/c: *κινδυνεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο ἀγαθὸν γεγονέναι καὶ οὐκ ἔσθ' ὅπως ἡμεῖς ὀρθῶς ὑπολαμβάνομεν, ὅσοι οἰόμεθα κακὸν εἶναι τὸ τεθνάναι.* Intercedit, quod Socrates apud Platonem exponit mortem omnino haud malum esse; Hyperides autem claram mortem virorum fortium a fine ceterorum hominum distinguit, eosque solos § 28 existimat renatos esse: *ἐξ ἀρχῆς γεγονέναι καλλίω γένεσιν τῆς πρώτης ὑπαρξάσης.* — Itaque per beneficia erga superstites laudandi beati dicuntur: merita enumerantur, deinde orator verbo *γίγνομαι* quater ad diversas sententias exprimendas adhibito frigido dicto nos offendit[2].

Superstites in omnibus vitae vicissitudinibus meritorum eorum reminiscentur §§ 30—32, quibus verbis orator demonstrare studet novam defunctorum vitam meliorem esse priore, cum iam virtute sua omnibus noti sint. His sententiis, quae per ampliorem interrogationum ordinem proferuntur, simillimus est

---

[1] [Ps.-Dem. LX 32: *εὔκλειαν ἀγήρω καταλείπουσιν, ἐν ᾗ καὶ παῖδες οἱ τούτων ὀνομαστοὶ τραφήσονται, καὶ γονεῖς [οἱ τούτων] περίβλεπτοι γηροτροφη. σονται, παραψυχὴν τῷ πένθει τὴν τούτων εὔκλειαν ἔχοντες.*

[2] Blass. l. c. III$^{2}_{2}$: Frostig ist das Spiel mit den verschiedenen Bedeutungen von *γεγονέναι.*

locus epitaphii Lysiae adscripti, quem totum mihi afferre liceat. Ps.-Lys. II 74: *πῶς δ' αὐτοὺς χρὴ λῆξαι τῆς λύπης; πότερον ἐν ταῖς τῆς πόλεως συμφοραῖς; ἀλλὰ τότε αὐτῶν εἰκὸς καὶ τοὺς ἄλλους μεμνῆσθαι. ἀλλ' ἐν ταῖς εὐτυχίαις ταῖς κοιναῖς; ἀλλ' ἱκανὸν λυπῆσαι, τῶν μὲν σφετέρων τέκνων τετελευτηκότων, τῶν δὲ ζώντων ἀπολαυόντων τῆς τούτων ἀρετῆς. ἀλλ' ἐν τοῖς ἰδίοις κινδύνοις, ὅταν ὁρῶσι τοὺς μὲν πρότερον ὄντας φίλους φεύγοντας τὴν αὐτῶν ἀπορίαν, τοὺς δ' ἐχθροὺς μέγα φρονοῦντας ἐπὶ ταῖς δυστυχίαις ταῖς τούτων*; Lyc. Leocr. 69.

Denique beatitudinis causa est, quod liberi exemplum virorum optimorum aemulabuntur § 32. de quo loco cf. supra p. 17. Huic cohortationi Thucydides, cf. II 43,3—45, et Plato, cf. Menex. 248 d/e, plus ponderis addunt. Similem sententiam invenio apud Demosthenem XIX 269: *ἔστι δ' ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περὶ τούτων μόνοις τῶν πάντων ἀνθρώπων οἰκείοις χρῆσθαι παραδείγμασι, καὶ τοὺς προγόνους, οὓς ἐπαινεῖτε δικαίως, ἔργῳ μιμεῖσθαι.*

Haec pars concluditur § 32 verbis: *οὐκ[οῦν ἄξιον εὐδαιμονί]ζειν αὐ[τοὺς ἐπὶ τοσαύτῃ τι]μῇ*; inde transitur ad ceteros defunctis praebendos honores, per quos felices fient. Primum est, quod § 33 a poetis et oratoribus celebrabuntur. De quali praedicatione etiam alii oratores mentionem faciunt: Thucydides II 41, 4 enim asseverat Athenis poetarum laudibus nihil opus esse, cum propter res gestes semper omnibus admirationi futurae sint. Plato Menex. 239 b/c de hoc poetarum more loquitur. Ps.-Lysias II 2, 3 profert: *ἄξιον γὰρ πᾶσιν ἀνθρώποις κἀκείνων μεμνῆσθαι, ὑμνοῦντας μὲν ἐν ταῖς ᾠδαῖς, λέγοντας δ' ἐν τοῖς τῶν ἀγαθῶν ἐγκωμίοις.* Isocr. IV 74, 82, 186: *τίς γὰρ ἢ τῶν ποιεῖν δυναμένων ἢ τῶν λέγειν ἐπισταμένων οὐ ποιήσει καὶ φιλοσοφήσει βουλόμενος ἅμα τῆς θ' αὑτοῦ διανοίας καὶ τῆς ἐκείνων ἀρετῆς μνημεῖον εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον καταλιπεῖν.* V 144[1].

Deinde Hyperides non dubitat dicere hoc bellum magis bello Troiano celebratum iri — ad quam sententiam infra § 35/36 revertitur — laudemque militum per totam Graeciam vulgatum iri. cf. Ps.-Lys. II 76.

---

[1] [Ps.-Dem. LX 9].

Ad augendam laudem Hyperides, ut vidimus (§§ 1, 3, 19, 23, 33), res nuper gestas cum aliis praeclaris factis saepius comparat, quae omnia longe superata esse dicit. Qua ratione ducis personae in his locis maxima laus tribueretur, supra p. 20/21 demonstravi; nunc singulas comparationes perstringam. Orator enim beatitudinis causis expositis concludit § 35: *ἀλλὰ μὴν ὅτι παρ' ἡμῖν καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσιν εὐδοκιμεῖν αὐτοὺς ἀναγκαῖον, ἐκ τούτων φανερόν ἐστιν.* Sed hac praedicatione nondum contentus exponit, a quo Leosthenem (*τὸν ἡγεμόνα . . . τὸν τούτων*) in Orco receptum iri existimandum sit. Hyperides recurrit ad bellum Troianum, cf. § 33, affirmatque Leosthenem non solum aequas illius belli heroibus res perfecisse, sed eos quoque superavisse, cum illi unum oppidum cum universae Europae copiis expugnavissent, Leosthenes *μετὰ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος μόνης* coniunctam Europae atque Asiae vim sustinuisset § 35. cf. Plat. Menex. 239d: *Πέρσας ἡγουμένους τῆς Ἀσίας καὶ δουλουμένους τὴν Εὐρώπην ἔσχον οἱ τῆσδε τῆς χώρας ἔκγονοι.* 240d. Lyc. Leocr. 104. Ps.-Lys. II 40. Isocr. XIV 59, XVI 27. cf. etiam Plut. Pericl. 28, quod dictum probabiliter e Periclis bello Samio c. a. 440 habita oratione haustum est. Isocr. IV 83: *οἱ τοσοῦτον μὲν τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσαμένων διήνεγκαν, ὅσον οἱ μὲν περὶ μίαν πόλιν ἔτη δέκα διέτριψαν, οἱ δὲ τὴν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἀσίας δύναμιν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατεπολέμησαν.* V 111/112. IX 64/65[1].

Praeterea eo heroes illos superverunt § 36, quod non unius feminae causa bellum susceperunt, sed ut prohiberent, quo minus omnibus universae Graeciae mulieribus vis inferretur, cf. Isocr. IV 181/182. Etiam hoc loco Hyperides militum mentionem facit: *ὁ δὲ . . . μετὰ τῶν συνθαπτομένων νῦν αὐτῷ ἀνδρῶν.*

---

[1] [Ps.-Dem. LX 10/11: *τοσούτῳ γὰρ ἀμείνους τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσαμένων νομίζοιντ' ἂν εἰκότως, ὅσον οἱ μὲν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος ὄντες ἀριστεῖς δέκ' ἔτη τῆς Ἀσίας ἓν χωρίον πολιορκοῦντες μόλις εἷλον, οὗτοι δὲ τὸν ἐκ πάσης τῆς ἠπείρου στόλον ἐλθόντα μόνοι . . . ἠμύναντο*]. — Animadversione dignum est, quod Isocrates alio loco XII 79—83 sententiam huic aperte oppositam profert.

Sequens cum viris bellorum Persicorum excellentibus comporatio[1], quos eo superasse dicitur §§ 37—38, quod illi hostem in ipsa Attica vicerint, hic autem intrare quoque prohibuerit, solum Leosthenem tangit[2].

Denique pergit ne Harmodium et Aristogitonem quidem res maiores quam nuper defunctos effecisse nullosque apud inferos Leostheni eiusque militibus (*Λεωσθένη καὶ τοὺς ἐκείνῳ συναγωνισαμένους*) coniunctiores futuros quam tyrannocidas putandum esse, cum illi solas Athenas, hi autem universam Graeciam tyrannide liberaverint. Quanta laus in hac comparatione concludatur, optime intelligemus, si recordabimur, quanta pietate tyrannocidarum memoria ab Atheniensibus culta sit. Ita Leptines, cf. Demosth. XX, rogavit, ut interdiceret populus, ne qui civis a muneribus rei publicae praestandis liberaretur, solorum autem Harmodii et Aristogitonis posterorum honores a populo datos tangi nefas esse censebat. De quibus honoribus tyrannocidis praebitis frequentius agit Demosthenes, cf. XIX 280, XX 70, XXI 170, et ipse Hyperides, cf. II 3: *ἐν νόμῳ γράψας ὁ δῆμος ἀπεῖπε μήτε λέγειν ἐξεῖναι [μηδενὶ] κακῶς Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα, μήτ' ᾄσα[ι ἐ]πὶ τὰ κακίονα.*

Quibus comparationibus ita peractis, ut laudandi omnibus hominibus gloria antecellerent, magis orator laudem augere iam non potuit. Exclamatione, qua Hyperides maximam rerum a defunctis gestarum admirationem edicit, ad sequentem partem — adhortationem existimo — transgressus esse videtur. Figura haec exclamationis in ceteris epitaphiis non invenitur neque omnino a prioribus oratoribus adhibetur[3].

Si hanc laudationem cum ceteris orationibus funebribus comparamus, certe primum nomen unius civis allatum nos offendit; deinde, si propius accedimus, animadvertimus etiam

---

[1] Demosthenes XX 74 Cononis cum Themistoclis factis comparat.

[2] [Ps.-Dem. LX 20: *νομίζω τοίνυν καὶ τοῦ τῆς χώρας ἡμῶν μὴ ἐπιβῆναι τοὺς πολεμίους, πρὸς τῇ τῶν ἐναντίων ἀγνωμοσύνῃ τὴν τούτων ἀρετὴν αἰτίαν γεγενῆσθαι.*

[3] cf. Simon Kayser: L'art oratoire, le style et la langue d'Hypéride. Musée Belge II 1898 p. 229.

de militibus plura dicta esse quam in Platonis Menexeno atque Ps.-Lysiae epitaphio. Hic, ut in Thucydidis Pericli adscripta oratione, exponuntur mores, virtutes, res gestae defunctorum, ut declamationum inanium loco non verba solum, sed facta habeas. Hoc in epitaphio re vera pronuntiato aliter fieri haud poterat. Proprium deinde est, si hanc orationem Thucydidis epitaphio opponimus, quo res publica summa laude, deinde milites ornantur, quod neque res publica neque civium mores, sed mortui ipsi primo loco praedicantur. Quae diversitas et ingenio utriusque oratoris et ratione, qua in civitate agebant, explicari potest. Non dubito, quin Hyperides orationem funebrem magis quam Thucydides ad primum munus, nuper defunctorum laudem, redegerit, nam cetera omnia ei hac laudatione res minores sunt. Nova est amplior beatitudinis praedicatio, quae, cum communibus sententiis utatur, ex his ipsis: virtute praestita, aeterna fama accepta, beneficiis superstitibus praebitis, honoribus merito iis tribuendis, denique e comparationibus defunctorum cum heroibus priorum temporum, demonstrat ducem militesque tam clare mortuos sine dubio beatos esse. Sed longius quoque orator procedit, cum affirmat mortuos non perisse, sed in meliorem statum transmigravisse vel potius renatos esse. Comparationes cum heroibus iure existimo laudis militum partem haberi, cum in duabus militum quoque mentio fiat, cf. § 35: *τὸν ἡγεμόνα . . . τὸν τούτων.* § 35: *ὁ δὲ μετὰ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος μόνης.* § 36: *ὁ δὲ . . . μετὰ τῶν συνθαπτομένων νῦν αὐτῷ ἀνδρῶν.* § 39: *Λεωσθένη καὶ τοὺς ἐκείνῳ συναγωνισαμένους.*

Nova denique Proserpinae aedis imago est, quae Platonis exemplo, cf. Apol. 40/41, videtur inniti[1]. Socrates enim apud Platonem edicit spem se apud inferos cum aliis, quicumque iniquo iudicio e vita decesserint, dies acturum esse. Similem in rationem Hyperides censet defunctos milites in Orco a viris receptum iri, qui res pares pro patriae universaeque Graeciae salute egerint.

[1] cf. Blass l. c. III$^2_2$ p. 3, p. 92/93.

IV. De Athenarum laude.

Mos erat praeter defunctos milites etiam urbem, pro qua mortem oppetiverant, laudare. Quo modo hoc dignissime fieri potuerit, optime apud Thucydidem videmus, facit enim Periclem demonstrantem civitatem adeo claram esse, ut ad omnia pro patria perferenda cives paratos esse deceat. Tota illius oratio praecipue est laus Athenarum. Hyperidis temporibus res iam maxime mutatae erant: discordia civium, servitus Macedonum, demutatio morum manifesta vestigia reliquerunt; praeterea oratori primo loco Leosthenes eiusque milites, quorum facta re vera eximia erant, de quorum morte ipse valde maerebat, ponendi erant. Tamen hanc laudationis partem non omnino omittit, sed laudi defunctorum inserit. Iam in ipsa argumenti partitione § 3 sibi primo loco civitatem, quippe longe reverendissimam, laudandam proponit *τῆς προαιρέσεως ἕνεκα, τὸ προελέσθαι ὅμοια καὶ ἔτι σεμνότερα καὶ καλλίω τῶν [πρότ]ερον αὐτῇ πεπραγμένων,* statim tamen apponit ducem pluribus de causis celebrandum esse, quo modo illius laudem, quamquam ordine ultimam, tamen ponderis maximi esse iam demonstrat. Ex hac partitione intellegimus oratorem rei publicae laudem ut etiam Leosthenis praedicationem ita prolaturum esse, ut Athenae appareant excellentes 1. in consiliis capiendis (*προαίρεσις*) et 2. in rebus gerendis; nam haud aliter demonstrari poterit, qua ratione nova consilia maiora sint quam iam peracta (*τῶν [πρότ]ερον αὐτῇ πεπραγμένων*). Rei publicae laudem in ceteris epitaphiis atque in encomiis habemus, de qua re profert Plato Menex. 235a: *γοητεύουσιν ἡμῶν τὰς ψυχάς, καὶ τὴν πόλιν ἐγκωμιάζοντες κατὰ πάντας τρόπους καὶ τοὺς τετελευτηκότας ἐν τῷ πολέμῳ καὶ τοὺς προγόνους ἡμῶν* . . . Deinde ad ipsam civitatis laudem accedens edicit nec vires nec tempus sufficere, ut Athenis meritus honos verbis tribuatur, cuius sententiae locos aliorum auctorum exposui supra p. 25. cf. Dem. XIII 18: *τὸν γὰρ ὑπὲρ τηλικαύτης πόλεως ῥηθησόμενον λόγον καὶ τοιούτων πραγμάτων παντὸς ἑνὸς τοῦ λέγοντος ἀεὶ μείζω φαίνεσθαι δεῖ.* Quamquam Hyperides proponit se solum maximas res (*ἐπὶ κεφαλαίου*) de Athenis dicturum

esse, tamen per praeteritionem nos facit intellegere § 4 res gestas plurimas celeberrimasque esse (*πρότερον* ⟨*ἀνὰ*⟩ *πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα* ⟨*πεπραγμένων*⟩) (*τοσαύτας καὶ τηλικαύτας πράξεις*).

Sequitur deinde § 5 illa rei publicae cum sole comparatio, qua orator omnem Athenarum laudem complectitur: *ὥσπερ [γὰρ] ὁ ἥλιος πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπέρχεται, τά[ς μὲν] ὥρας διακρίνων [κατὰ τὸ π]ρέπον καὶ καλῶς [πάντα καθ]ιστάς*[1], *τοῖς δὲ σ[ώφροσι καὶ ἐπ]ιεικέσι τ[ῶν ἀνθρώπ]ων ἐπιμ[ελούμενος κ]αὶ γεν[έσεως καὶ τροφῆ]ς καὶ [καρπ]ῶν κ[αὶ τῶν ἄλλων ἁπά]ντων τῶν εἰς τὸν βίον χρησίμων, οὕτως καὶ ἡ πόλις ἡμῶν διατελεῖ τοὺς μὲν κακοὺς κολάζουσα, τοῖς δὲ δικαίοις β[οηθοῦσα], τὸ δὲ ἴσον ἀν[τὶ τῆς πλεονε]ξίας ἅπασιν [φυλάττουσα, τ]οῖς δὲ ἰδί[οις κινδύνοις κα]ὶ δαπάναι[ς κοινὴν ἄδει]αν τοῖς Ἕλλη[σιν παρασκευ]άζουσα.* — Hoc dictum nullo argumento confirmatur, quia omnibus notum est urbem quavis laude superiorem esse. — Sententiae in hac comperatione de re publica prolatae, quas singulatim perstringam, etiam apud alios oratores inveniuntur.

I. *ἡ πόλις ἡμῶν διατελεῖ τοὺς μὲν κακοὺς κολάζουσα, τοῖς δὲ δικαίοις β[οηθοῦσα]*. cf. Gorg. frgm.: *θεράποντες μὲν τῶν ἀδίκως δυστυχούντων, κολασταὶ δὲ τῶν ἀδίκως εὐτυχούντων.* Plat. Menex. 244e: *ἀεὶ λίαν φιλοκτίρμων ἐστὶ* (sc. *ἡ πόλις*) *καὶ τοῦ ἥττονος θεραπίς.* Ps.-Lys. II 12, 14, 19: *νόμῳ τοὺς ἀγαθοὺς τιμῶντες καὶ τοὺς κακοὺς κολάζοντες.* ibid. 22, 67. Eur. Suppl. v. 339 sq. Dem. XVI 15, XXV 97: *τοὺς μὲν σώφρονας καὶ χρηστοὺς τιμῶντες, τοὺς δὲ πονηροὺς καὶ θρασεῖς μισοῦντες.* Isocr. IV 52, 53, VII 20, 26, VIII 30, 137, XII 60/61, XIV 1.

II. *τὸ δὲ ἴσον ἀν[τὶ τῆς πλεονε]ξίας ἅπασιν [φυλάττουσα,* cf. Gorg. frgm. *δίκαιοι μὲν πρὸς τοὺς ἀστοὺς τῷ ἴσῳ εὐσεβεῖς δὲ πρὸς τοὺς φίλους τῇ πίστει.* Ps.-Lys. II 56: *οὐ τοῖς ὀλίγοις τοὺς πολλοὺς δουλεύειν ἀξιώσαντες, ἀλλὰ τὸ ἴσον ἔχειν ἅπαντας ἀναγκάσαντες.* ibid. 64. Dem. II 24: *καὶ πολλ' ἰδίᾳ πλεονεκτῆσαι*

---

[1] Quo loco longe lectionem *κατὰ τὸ πρέπον* illi praefero, quam Blass probat: *εἰς τὸ πρέπον*, cum omnia a sole secundum naturae leges (*κατὰ τοὺς νόμους*) disponantur.

πολλάκις ὑμῖν ἐξὸν οὐκ ἠθελήσατε, ἀλλ' ἵν' οἱ ἄλλοι τύχωσι τῶν δικαίων, τὰ ὑπὲρ αὑτῶν ἀνηλίσκετ' εἰσφέροντες καὶ προυκινδυνεύετε στρατευόμενοι. VI 11, XIII 8: *νῦν δὲ πρωτεύειν μὲν ὑμεῖς ἀξιοῦτε καὶ τὰ δίκαι' ὁρίζειν τοῖς ἄλλοις.* XVII 1, VIII 42 (X 14). Isocr. IV 39, 80, 103—106, VII 69, VIII 93[1].

III. *τ]οῖς δὲ ἰδί[οις κινδύνοις κα]ὶ δαπάναι[ς κοινὴν ἄδει]αν τοῖς Ἕλλη[σιν παρασκευ]άζουσα.* Quae sententia etiam frequentius invenitur et variis illustratur exemplis: Amazonum clade, bellis Persicis etc. Praecipue affirmatur Athenienses censere totam Graeciam communem omnium Graecorum patriam esse, qua de causa non solum cuique civitati de suis propriis rebus, sed etiam de universae patriae salute cogitandum esse. Quamquam non me fugit hanc sententiam pervulgatam esse, cuius rei exempla infra afferam, tamen maxime probabile mihi videtur Hyperidem etiam illud decretum respexisse, de quo iam a Diodoro Sic. XVIII 10 servato supra p. 7 egi: *ὁ δῆμος . . . καὶ νῦν οἴεται δεῖν ὑπὲρ τῆς κοινῆς τῶν Ἑλλήνων σωτηρίας καὶ σώμασι καὶ χρήμασι καὶ ναυσὶ προκινδυνεύειν.* Cum ipse enim cives et omnes Graecos ad bellum suscipiendum incitaverit, non incredibile videtur eum etiam huic legatorum mandato scribendo adfuisse et iam eadem sententia ad civitatem praedicandam usum esse, ut demonstraret rem publicam ipsam suis consiliis (*προαίρεσις*) fidelem denuo suis periculis et suo sumptu (*ἰδίοις κινδύνοις καὶ δαπάναις*) salutem cunctae Graeciae confirmavisse. Eandem sententiam saepe invenimus[2], cf. Thuc. II 39, 1. Plat. Menex. 239 b, 242 a,

---

[1] Aliquid simile invenio in illa apud Isocratem rei publicae ordinis cum animo comparatione, cf. VII 14 et XII 138: *πᾶσα πολιτεία ψυχὴ πόλεώς ἐστι, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν, ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις· αὕτη γάρ ἐστιν ἡ βουλευομένη περὶ ἁπάντων, καὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ διαφυλάττουσα, τὰς δὲ συμφορὰς διαφεύγουσα, καὶ πάντων αἰτία τῶν ταῖς πόλεσι συμβαινόντων.*

[2] Affero etiam locos, quibus civium sive militum de libertate Graeciae merita exponuntur, cum res iussu populi ab exercitu gestae rei publicae consilio factae sint.

244 c, 245 a. Ps.-Lys. II 44: *τῇ ἰδίᾳ ἀρετῇ κοινὴν τὴν ἐλευθερίαν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐκτήσαντο.* ibid. 58. Lyc. Leocr. 42, 50, 104: *ὥστ' οὐ μόνον ὑπὲρ τῆς αὐτῶν πατρίδος, ἀλλὰ καὶ πάσης ⟨τῆς⟩ Ἑλλάδος ὡς κοινῆς ⟨πατρίδος⟩ ἤθελον ἀποθνήσκειν . . . τοῖς ἰδίοις κινδύνοις κοινὴν ἄδειαν ἅπασι τοῖς Ἕλλησι κτώμενοι.* Dem. VI 10, VII 7, IX 70, X 73, XVIII 66: *. . . ἀεὶ περὶ πρωτείων καὶ τιμῆς καὶ δόξης ἀγωνιζομένην τὴν πατρίδα, καὶ πλείω καὶ χρήματα καὶ σώματ' ἀνηλωκυῖαν ὑπὲρ φιλοτιμίας καὶ τῶν πᾶσι συμφερόντων ἢ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ὑπὲρ αὐτῶν ἀνηλώκασιν ἕκαστοι.* XVIII 99, 100/101, 208, 238. Isocr. IV 52, 81, 83, 86, VII 84: *ἡμᾶς . . . σωτῆρας οὐ μόνον τῆς πόλεως ἀλλὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων ἁπάντων γενήσεσθαι.* VIII 13, 42, XII 93, XIV 32, 60[1].

E qua multitudine allatorum locorum patet plerasque has de moribus atque promeritis Athenarum sententias nil novi continere; haec comparatio autem plura profert quam singulae illae sententiae, cum omnia, quae de sole dicit, etiam Athenis adscribit, praetereaque asseverat rem publicam iniustos punire, iustos adiuvare. Cuius comparationis partes ut melius inter se congruant, orator non dubitat proferre: *ὥσπερ [γὰρ] ὁ ἥλιος . . . τοῖς δὲ σ[ώφροσι καὶ ἐπ]ιεικέσι τ[ῶν ἀνθρώπ]ων ἐπιμ[ελούμενος . . .] οὕτως καὶ ἡ πόλις ἡμῶν διατελεῖ τοὺς μὲν κακοὺς κολάζουσα, τοῖς δὲ δικαίοις β[οηθοῦσα], τὸ δὲ ἴσον ἀν[τὶ τῆς πλεονε]ξίας ἅπασι [φυλάττουσα, τ]οῖς δὲ ἰδί[οις κινδύνοις κα]ὶ δαπάναι[ς κοινὴν ἄδει]αν τοῖς Ἕλλη[σιν παρασκευ]άζουσα.*

Primum de sole dicitur *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπέρχεται*, omnia videt et scit, bonos et malos novit; ita etiam nihil, quod in Graecia fit, Athenas praeterit. — Deinde legimus: *τά[ς μὲν] ὥρας διακρίνων [κατὰ τὸ π]ρέπον καὶ καλῶς [πάντα καθ]ιστάς.* Plato, cf. Pol. 516 b celebrat solem[2]: *ὅτι αὐτὸς ὁ τάς τε ὥρας παρέχων καὶ ἐνιαυτοὺς καὶ πάντα ἐπιτροπεύων τὰ ἐν τῷ ὁρωμένῳ τόπῳ, καὶ ἐκείνων, ὧν σφεῖς, τρόπον τινὰ πάντων αἴτιος.* Et

[1] [Ps.-Dem. LX 10: *καὶ διὰ τῶν ἰδίων κινδύνων κοινῆς σωτηρίας πᾶσι τοῖς Ἕλλησι αἴτιοι κατέστησαν.* — ibid. 18].

[2] De quibus rebus cf. W. Roscher: Lexikon der griechischen und römischen Mythologie v. Helios p. 2021—2024.

ibidem 509b de sole censet: *τὸν ἥλιον τοῖς ὁρωμένοις οὐ μόνον, οἶμαι, τὴν τοῦ ὁρᾶσθαι δύναμιν παρέχειν φήσεις, ἀλλὰ καὶ τὴν γένεσιν καὶ αὔξην καὶ τροφήν, οὐ γένεσιν αὐτὸν ὄντα*[1].

De hac ipsa solis vi Hyperides agere et Isocratis vestigia secutus esse imaginemque ab illo prolatam videtur produxisse[2]. Duo enim Panegyrici loci haud aliud edicunt, cf. IV 26: *εὑρήσομεν γὰρ αὐτὴν* (sc. *τὴν πόλιν*) *οὐ μόνον τῶν πρὸς τὸν πόλεμον* [*κινδύνων*] *ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς, ἐν ᾗ κατοικοῦμεν καὶ μεθ' ἧς πολιτευόμεθα καὶ δι' ἣν ζῆν δυνάμεθα, σχεδὸν ἁπάσης αἰτίαν οὖσαν.* IV 38: *ὥστε τῶν παρόντων τοῖς ἀνθρώποις ἀγαθῶν, ὅσα μὴ παρὰ θεῶν ἔχομεν, ἀλλὰ δι' ἀλλήλους ἡμῖν γέγονε, μηδὲν μὲν ἄνευ τῆς πόλεως τῆς ἡμετέρας εἶναι, τὰ δὲ πλεῖστα διὰ ταύτην γεγενῆσθαι.* Hyperidis est, quod has etiam a Platone atque Isocrate adhibitas sententias de vi solis et de auctoritate Athenarum inter se coniunxit; neque dubitari potest, quin hoc ad urbis laudem augendam fecerit. Sed imago haec nos aliquanto offendit, cum non pateat, qua ratione sol probis tantum consulat, qua ratione civitas malos puniens, probos adiuvans, iustum servans, de communi salute periclitans cum sole comparari possit. Nam sol omnibus hominibus probis improbisque necessaria procreat, cf. Nov. Test. Matth. V 45: *ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους.* Quamquam raro fit, ut soli etiam vis nocendi adscribatur[3], tamen hoc loco de ea vi mentio fieri non potest, cum demonstrandum sit Athenas semper iustitiae partes tenere. Deinde soli neque iustitiam neque studium mundo suis periculis securitatem praebendi adscribere possumus. Cogimur igitur conicere Hyperidis maxime interfuisse, qua ratione patriam summa laude ornaret, quod ut fieret, eum rem publicam cum sole comparavisse, utriusque gravitatem notis

---

[1] cf. Cic. Tusc. I 28, Somn. Scip. 4: sol ... dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret et compleat.

[2] cf. Buecheler, l. c. N. Jahrb. f. klass. Philol. 1875, p. 308.

[3] cf. Roscher, l. c. p. 2022.

propriis illustravisse, minime id studuisse, ut notae in vicem altera alteri responderent. Sententiam huius partis comparationis in eo video: sol omnia perspicit, novit, probis (?) propitius est; similiter Athenas nihil fugit, qua notitia utuntur, ut probos iuvent, improbos puniant. Quem locum cum ceteris comparationis partibus componens cunctam hanc imaginem sic transpono: Ut sol mundum contemplatur, administrat, temperat, omnia perspicit, bonis cupit, omnia ad vitam necessaria procreat, qua de causa nihil nisi sole fovente fieri potest, ita etiam Athenae iustum servant, probos iuvant, improbos reprimunt, propriis periculis iacturisque omnibus Graecis facultatem vitam securam agendi praebent (hae notae soli non adscribuntur), qua de re nil nisi Athenis faventibus durare potest.

Hoc modo maxima parte Athenarum laudis edicta orator iam ad ducis laudem transit, sed denuo § 6 reticentiae specie ostendit res actas (*κοινὰ ἔργα τῆς πόλεως*) praeclaras, propter exiguitatem autem temporis omittendas esse. — Ut ducis laus per se ipsa militibus honorem praebet, ita etiam civium praedicatione res publica celebratur, quo fit, ut etiam origo civium (*αὐτοχθονία*), sapiens liberorum educatio Athenarum laudem augeat. Animadversione dignum est, quod saepius de amore patriae erga universam Graeciam atque de communi Athenarum et Graeciae salute agitur, cf. §§ 5, 9, 10.

Maximo Athenis est honori, quod Leosthenes civium amore patriae confidens urbem universae Graeciae liberandae dedere poterat, § 10: *ἥτις προστῆναι [δυ]νήσεται τῆς ἡγεμονίας*, ad quam sententiam § 13 orator revertitur, cum de sociis affirmat *τούτων Λεωσθένης ἑκόντων τὴν ἡγεμονίαν ἔλαβεν*. Oratores Attici nullam occasionem ad rem publicam celebrandam omittentes persaepe de principatu Athenarum verba faciunt, demonstrant facta urbis maxima esse et praeterea eo tempore, cum res Atheniensium maxime floruissent, omnem Graeciae statum optimum fuisse, eosque dignos esse, qui principatum obtineant. Cf. Plat. Menex. 244c: *ἡγησάμενοι οἱ Λακεδαιμόνιοι τοὺς μὲν τῆς ἐλευθερίας ἐπικούρους πεπτωκότας ἡμᾶς*. Ps.-Lys. II 42/43, 47,

55/56, 57: *ὧν ἕνεκα δεῖ μόνους καὶ προστάτας τῶν Ἑλλήνων καὶ ἡγεμόνας τῶν πόλεων γίγνεσθαι.* Plat. Tim. 25 b/c. Lyc. Leocr. 61, 72, 104, 108. Dem. III 24 (XIII 26), IX 23, X 46, 50, 74, XV 30: *κοινοὶ προστάται τῆς πάντων ἐλευθερίας.* XIX 64: *τῆς Ἀθηναίων πόλεως, ᾗ προεστάναι τῶν Ἑλλήνων πάτριον.* XXII 68. Isocr. IV 20, 57, 72, 80, 95, 98—100, 103—106, 119, VII 66: *αὐτὴν ἀξίαν εἶναι μὴ μόνον τῶν Ἑλλήνων ἄρχειν ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων.* VIII 141, XII 190. Aesch. III 134, 143. Eur. Suppl. v. 188sq.

Demonstratur § 20 populum pium esse, cives et per eos scilicet etiam rem publicam id studuisse, ut iustitia servaretur (*τοῦ δικαίου δύναμιν ἰσχύειν*). Defuncti pro patriae libertate mortem obierunt, nihil enim nisi libertas (*αὐτονομία*) beatitudinem praebet. Leges valere necesse est, non singulorum hominum arbitratum; non blanditiis, sed legum auctoritate rem publicam administrari oportet. Quibus verbis orator liberum rei publicae statum extollit, de quo etiam alii orationum funebrium auctores agunt. Apud Thucydidem II 37, 1 democratia appellatur *διὰ τὸ μὴ εἰς ὀλίγους ἀλλ' εἰς πλείονας οἰκεῖν δημοκρατία κέκληται*[1]. Plato, Menex. 238c/d civitatem aristocratiam esse dicit, sed apponit: *καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν, ὁ δὲ ἄλλο, ᾧ ἂν χαίρῃ. ἔστι δὲ τῇ ἀληθείᾳ μετ' εὐδοξίας πλήθους ἀριστοκρατία.* Ps.-Lysias II 18/19 de democratia verba facit[2].

Etiam alia de rei publicae statu dicta habemus, quae democratiam praedicant et libertatem quoque civibus beatitudinem praebere iudicant, cf. Plat. Pol. 562c. Lyc. Leocr. 3/4: *τρία γάρ ἐστι τὰ μέγιστα, ἃ διαφυλάττει καὶ διασῴζει τὴν δημοκρατίαν καὶ τὴν τῆς πόλεως εὐδαιμονίαν, πρῶτον μὲν ἡ τῶν νόμων τάξις.* Dem. I 23, XVII 8, XVIII 305: *πάντες ἂν ὄντες ἐλεύθεροι καὶ αὐτόνομοι μετὰ πάσης ἀδείας ἀσφαλῶς ἐν εὐδαιμονίᾳ τὰς ἑαυτῶν ᾤκουν πατρίδας.* XIX 69, Isocr. IV 117, XII 178.

---

[1] cf. Thuc. II 65, 9/10: *ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.*

[2] [Ps.-Dem. LX 25/26.]

Singulas de libera re publica sententias etiam alii auctores similem in modum proferunt:

I. *οὐ γὰρ ἀνδρὸς ἀπειλήν, ἀλλὰ νόμου φωνὴν κυριεύειν δεῖ τῶν εὐδαιμόνων.* Cf. Plat. Menex. 239 a. Ps.-Lys. II 25: *καὶ μᾶλλον τοὺς παρ' αὐτοῖς νόμους αἰσχυνόμενοι ἢ τὸν πρὸς τοὺς πολεμίους κίνδυνον φοβούμενοι.* Dem. XXI 96: *τοὺς νόμους μᾶλλον ἔδεισε τῶν ἀπειλῶν.* XXI 188, 223, XXIII 73: *καὶ τοὺς νόμους κυρίους ἁπάντων εἶναι, καὶ πάντα ταῦτ' ἔχει καλῶς.* XXV 11.

II. *οὐδ' αἰτίαν φοβερὰν εἶναι τοῖς ἐλευθέροις, ἀλλ' ἔλεγχον.* Cf. Thuc. II 37, 3: *τὰ δημόσια διὰ δέος μάλιστα οὐ παρανομοῦμεν κ. τ. λ.* Isocr. XIV 39.

III. Saepe etiam sententias de liberae rei publicae commodis et tyrannidis incommodis invenimus, quibus quoque profertur magni ponderis esse, quod leges valeant, cf. Plat. Menex. 238 e. Ps.-Lys. II 18/19. Eur. Suppl. v. 429 sq. Dem. XXIV 75: . . . *τί ποτ' ἐστὶν ᾧ νόμος ὀλιγαρχίας διαφέρει, καὶ τί δήποθ' οἱ μὲν ὑπὸ νόμων ἐθέλοντες ἄρχεσθαι σώφρονες καὶ χρηστοὶ νομίζονται, οἱ δ' ὑπὸ τῶν ὀλιγαρχιῶν ἄνανδροι καὶ δοῦλοι.* Isocr. IV 105. Aesch. I 4: *διοικοῦνται δ' αἱ μὲν τυραννίδες καὶ ὀλιγαρχίαι τοῖς τρόποις τῶν ἐφεστηκότων, αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις.* — Videmus inter se oppositas voces: *νόμος* et *τρόπος* sive *ὀλιγαρχία.* Eadem ratione Hyperides epit. § 20 maximum malum censet: *νόμῳ δὲ τῷ τούτου τρόπῳ ἐξ ἀνάγκης χρῆσθαι τὴν Ἑλλάδα.*

E multis allatis exemplis patet laudem rei publicae sicut etiam originis Atheniensium laudem in orationibus funebribus usitatam fuisse, nam etiam rhetorum praeceptis postulatur. Praeterea constat Athenienses, praecipue oratores, quia sciebant cives laudis et gloriae cupidissimos, nullam occasionem ad talem laudem proferendam idoneam praetermisisse et, si nihil recens celebrandum habebant, ad acta maiorum recurrisse. Itaque haec orationis pars usu praescripta erat; tamen etiam nonnullis propriis causis, cur eam non praeteriret, Hyperidem inflammatum

puto. Ipse enim ad bellum suscipiendum impulerat, libertatem amabat, servitutem oderat, incorruptus factionis ad Macedones inclinantis inimicus erat patriae amore incensus, a maioribus traditum rei publicae statum admirabatur, atque conservare cupiebat, cuius imagini civibus proponendae hoc loco § 25 operam navat. — Nonnulla cum Pericle similitudo nos offendit: uterque belli auctor, uterque patriae amans belli initio orationem suam dicit, tamen longe alius est status, — illic florens aetas Periclea, hic imminens interitus.

Nihilo minus etiam in nostra oratione laus rei publicae optime argumento se accommodat, eo magis, quod proprio oratoris ingenio exponitur. Invenimus enim duas laudationis praecipuas causas: 1. *προαίρεσις* § 3, 2. *πράξεις* §§ 3, 4. Deinde, cum Athenae cum sole comparantur § 5, aparent egregiae rei publicae proprietates: iustitia, aequitas, abstinentia, aparetque civitatem omni Graeciae consulere, pro communi salute agere. Cum res nuper gestae exponuntur, illustratur Athenarum *προαίρεσις* § 10, qua libertatem universae Graeciae servaverunt; audimus dignas esse, quae principatum inter Graecos obtineant. E Leosthenis actionibus enarratis intellegimus civitatem sine ullo lucri studio res gerendo universae patriae inservisse. Maxime res publica ea quoque liberae civitatis laude § 25 extollitur, qua orator edicit felicitatem nullam sine libertate esse; nam eo, quod huic laudi adnectit: *ὑπὲρ ὧν ἁπάντων οὗτοι . . . τὸ ζῆν ἀνήλωσαν*, demonstrat Athenarum statum idoneum esse, quo cives felices fiant.

Denique eo, quod urbem cum sole comparari dignatur, eam summa laude ornat. Sed tamen huic parti propter rhetoricas notas superlationesque aliquid frigidi adhaeret: facta nimis augentur, Athenienses plus aequo iusti atque ad labores perferendos idonei depinguntur eo tempore, quo iam largitionem virorum in re publica versantium maximam fuisse constat, cf. Hyp. epit. § 10: *Λεωσθένης γὰρ ὁρῶν τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν τεταπεινωμένην καὶ [ὥσπερ] ἐπτη[χυ]ῖαν, κατεφθαρμένην ὑπὸ τῶν δωροδοκούντων παρὰ Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου κατὰ τῶν πατρίδων τῶν αὐτῶν* . . . Nostrum autem de hac veritatem egredienti

laude iudicium eum veterum, qui maiore orationum nitore uti solebant, magis declamationibus inflammari poterant. maxime arti oratoriae studebant, congruere non potest.

V. De superstitum consolatione.

Consolationem in omnibus orationibus funebribus habemus, cf. Thuc. II 44, Plat. Menex. 247c—249c, Ps.-Lys. II 71—81[1]. Quamquam separata orationis pars, quam nomine *λόγος παραμυθητικός* inscribere possumus, solum in ipso fine, in fragmento a Stobaeo servato, concluditur, tamen iam in prioribus partibus Hyperides auditorum animos ad consolationem componit, maxime in beatitudinis praedicatione, cum amplius causas, de quibus occisi felices habendi sint, exponit: commoda, quibus superstites donaverint, laudes et aeternam memoriam, quam assecuti sint, honores, quos in Orco accepturi sint. Quibus sententiis non semel perstrictis, iam ad ipsam consolationem transgrediens § 41, sic incipit: *χαλεπὸν μὲν ἴσως ἐστὶ τοὺς ἐν τοιούτοις ὄντας πάθεσι παραμυθεῖσθαι . . . ὅμως δὲ χρὴ θαρρεῖν* . . . cf. Thuc. II 44, 2/3: *χαλεπὸν μὲν οὖν οἶδα πείθειν ὄν, . . . καρτερεῖν δε χρὴ . . .*[2] Hyperides se causas maeroris non ignorare dicit, sed eas refutare sibi proponit[3]. Monet superstites, ut luctum, quantum fieri possit, reprimant, deinde, ne solius mortis suorum memores bonorum obliviscantur, quorum defuncti participes sint. Quorum primum est virtus praebita (*τῆς ἀρετῆς ἧς καταλελοίπασιν*). Non luctu digna, pergit, passi sunt, sed maximis laudibus digna confecerunt, cf. Thuc. II 44, 1. Plat. Menex. 248c: *τὰ μὲν γὰρ ἡμέτερα τελευτὴν ἤδη ἕξει, ἥπερ καλλίστη γίγνεται ἀνθρώποις, ὥστε πρέπει αὐτὰ μᾶλλον κοσμεῖν ἢ θρηνεῖν.*

---

[1] [Ps.-Dem. LX 35—37.]

[2] [Ps.-Dem. LX 35: *ἔστι μὲν οὖν ἴσως χαλεπὸν τὰς παρούσας συμφορὰς λόγῳ κουφίσαι· δεῖ δ' ὅμως πειρᾶσθαι* . . .]. Cf. Isocr. XIV 4: *χαλεπὸν μὲν οὖν . . . ὅμως δὲ πειρατέον.*

[3] Cf. Eurip. frgm. 1064: *οὐκ ἔστι λύπης ἄλλο φάρμακον βροτοῖς*
ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ φίλου παραίνεσις.

Non solum mortem obierunt, sed immortalem famam reliquerunt, de qua fama iam supra p. 32 egi. Non dubito dicere Graecorum gloriae cupiditatem id maxime tetendisse, ut immortalitatem per famam acciperent, et passim milites sive singulos homines dicitur hanc famam meritos esse. Cum occisi eam adepti sint, affirmat orator eos re vera omnino beatos existimandos esse[1], etiamsi senectutis mortalium expertes mortem obierint: *εὐδαίμονές τε γεγόνασι κατὰ πάντα.* cf. Ps.-Lys. II 79: *προσήκει τούτους εὐδαιμονεστάτους ἡγεῖσθαι.* ibid. 81[2].

Qui liberis carentes mortui sunt, iis laudes a Graecis acceptae filii immortales erunt; qui liberos reliquerunt, eorum superstitibus benevolentia rei publicae consulet, quae sententia iam supra § 27 invenitur: *παῖδες ἐφόδιον εἰς τὴν πρὸς τὸν δῆμον ε[ὔνοι]αν τὴν τῶν οὐκ ἀπολωλότων ἀρετὴν . . . ἕξουσιν.* cf. Thuc. II 46. Plat. Menex. 248d, 248e/249a. Ps.-Lys. II 75. Dem. XIX 313.

Itaque omnes prolatae maeroris causae refutantur eo, quod milites virtutem praestiterint, res laudabiles gesserint, famam, laudes, benevolentiam etiam erga liberos suos acquisiverint.

Praeterea, concludit, si mortem obisse par est atque nunquam natum esse, § 43 *ἀπηλλαγμένοι εἰσὶ νόσων καὶ λύπης καὶ τῶν ἄλλων τῶν προσπιπτόντων εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον*[3]. cf. Isocr. IX 71. Eur. Phrix. frgm. 830: *βροτῶν*
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες
οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά[4].

Sin autem defuncti habent aliquid sensus et est aliquae dei (*τοῦ δαιμονίου*) mortuorum cura, hi occisi sine dubio maximae

[1] Meuss l. c. N. Jahrl. 1889, p. 813: Wir werden uns hüten müssen in dieser aufs höchste gesteigerten Ausdrucksweise alles wörtlich zu nehmen.

[2] [Ps.-Dem. LX 32: *οἱ δ' εὐδαίμονες τῷ δικαίῳ λογισμῷ.* 33: *πῶς οὐ χρὴ τούτους εὐδαίμονας νομίζεσθαι.*]

[3] Cuius loci structura simillima est illi nostrae orationis loco § 5: *καὶ γενέσεως καὶ τροφῆς καὶ καρπῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν εἰς τὸν βίον χρησίμων.*

[4] [Ps.-Dem. LX 33: *ἔπειτα νόσων ἀπαθεῖς τὰ σώματα καὶ λυπῶν ἄπειροι τὰς ψυχάς, ἃς ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσιν οἱ ζῶντες ἔχουσιν.*]

numinis divini benevolentiae participes sunt, cum prohibuerint, ne cultus deorum neglegerentur.

Etiam in hac parte sunt sententiae ab aliis oratoribus quoque allatae, sed tamen consolatio minime proprietatibus caret, nam orator ipse dolens exponit se intellegere luctum superstitum gravissimum et propterea non omnino exstinguendum esse, cum cuiusque natura pietasque erga defunctum maeroris modum faciat. Deinde ad luctus causas refutandas accedit, perseverat tam egregie mortuos nihil mali perpessos esse, audaci sententia profert laudes defunctorum immortales liberos esse, denique mortem nequaquam aliquid dolendi esse existimat facitque mentionem de quadam numinis divini erga occisos, qui de dis colendis optime meruerint, benevolentia curaque. Innititur consolatio praecipue priore parte, beatitudinis praedicatione; gravis dici non potest, nisi per ultimae periodi sententiam. Frigida sunt verba, quibus profertur gloriam defunctorum idoneam esse ad maerorem superstitum reprimendum laudesque immortales mortuorum liberos esse. Aliquanto graviora habemus in ultimo fine, de quo loco mihi infra amplius agendum erit.

VI. De morte.

Mors ipsa secundum vulgarem sententiam[1], quantum ad omnes homines pertineat, aliquid luctuosi etiam ab Hyperide existimatur esse § 28: [*ὁ τοῖ*]*ς ἄλλοις ὢν ἀνιαρότατος θάνατος*. Lyc. Leocr. 60: *τελευτήσαντι δὲ συναναιρεῖται πάντα δι' ὧν ἄν τις εὐδαιμονήσειεν*. Sed Hyperides huic sententiae verba adnectit: *τούτοις ἀρχηγὸς μεγάλων ἀγαθῶν γέγονε*. Qua de causa ita iudicat? Quia defuncti vitam suam saluti rei publicae et propinquorum et universae denique Graeciae dederunt et res maiores quam vitam suam servaverunt, quo modo fit, ut mors magni pretii sit, cf. § 16: *οἱ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς ἔδωκαν ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας*. § 24: *διὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν τὴν κοινὴν*

[1] cf. Meuss l. c. p. 810sq. — Nägelsbach: Nachhomerische Theologie pp. 396sq., 417sqq.

ἐλευθερίαν τοῖς Ἕλλησιν ἐβεβαίωσαν. § 26: *τὸ ζῆν ἀνήλωσαν εἰς τὸ τοὺς ἄλλους καλῶς ζῆν.* § 27: *τοὺς οὕτως ὑπὲρ καλῶν τὸν βίον ἐκλιπόντας.*

Deinde talis mors aliquid boni est, cum ipsis occisis aeternam famam praebeat, cf. § 24: *θνητοῦ σώματος ἀθάνατον δόξαν ἐκτήσαντο.* § 32: .. *βίον, ἀνθ' οὗ τὴν ἀρετὴν καταλελοίπασιν.* § 41: ... *μεμνῆσθαι* ... *καὶ τῆς ἀρετῆς ἧς καταλελοίπασιν.* § 42: *εὐδοξίαν ἀγήρατον εἰλήφασιν.* Cum haec ita sint, orator concludere potest: *οὐ γὰρ θρήνων ἄξια πεπόνθασιν, ἀλλ' ἐπαίνων μεγάλων πεποιήκασιν*, i. e. morte eorum plus boni quam mali effectum est. Accedunt quoque ceterae beatitudinis causae: beneficia erga superstites, honores; itaque talem mortem obire aliquid aemulatione digni est, cf. § 32: *ἔπειτα οὐ τὸν θάνατον ζηλώσουσιν αὐτῶν* (sc. *οἱ νεώτεροι*).

Hyperides, cum haec exponit, bene intellegit maximam rationem inter horum militum et aliorum hominum mortem intercedere, tantam, ut mors eorum perniciei omnino impar sit, qua de causa asseverat § 27 defunctos milites nequaquam perisse: *τῶν οὐκ ἀπολωλότων* ... *οὐ γὰρ θεμιτὸν τούτου τοῦ ὀνόματος τυχεῖν τοὺς οὕτως ὑπὲρ καλῶν τὸν βίον ἐκλιπόντας*, — sed ad aeternam vitam transgressos esse: *ἀλλὰ τῶν τὸ ζῆν εἰς αἰώνιον τάξιν μετηλλαχότων.* cf. Plat. Apol. 40c: *δυοῖν γὰρ θάτερόν ἐστιν τὸ τεθνάναι* ... *ἢ κατὰ τὰ λεγόμενα μεταβολή τις τυγχάνει οὖσα καὶ μετοίκησις τῇ ψυχῇ τοῦ τόπου τοῦ ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον.* ibid. 40e: *εἰ δ' αὖ οἷον ἀποδημῆσαί ἐστιν ὁ θάνατος.* Pol. 496e. Lyc. Leocr. 50: *οὗτοί τε τὸν βίον μετήλλαξαν.* — Itaque mors fortasse nihil est nisi vitae finis[1], non totius naturae humanae extrema dissolutio. Sed hac sententia orator nondum contentus est, sed pergit § 28: *εἰ γὰρ [ὁ τοῖ]ς ἄλλοις ὢν ἀνιαρότατος θάνατος τούτοις ἀρχηγὸς μεγάλων ἀγαθῶν γέγονε, πῶς τούτους οὐκ εὐτυχεῖς κρίνειν δίκαιον, ἢ πῶς ἐκλελοιπέναι τὸν βίον ἀλλ' οὐκ ἐξ ἀρχῆς γεγονέναι καλλίω γένεσιν τῆς πρώτης ὑπαρξάσης.* Hyperides iudicat occisos propter claram mortem, qua famam, honorem, benevolentiam superstitum acceperint, ad meliorem

---

[1] cf. Meuss, l. c. p. 805: Lys. XII 88; Ps.-Lys. II 70, 79; Isae. VIII, 7; Lyc. Leocr. 86.

vitam renatos esse. Insignes sunt causae, de quibus novam vitam meliorem futuram esse censet, cf. § 28/29: *τότε μὲν γὰρ παῖδες ὄντες ἄφρονες ἦσαν, νῦν δ' ἄνδρες ἀγαθοὶ γεγόνασιν. καὶ τότε μὲν ἐν πολλῷ χρόνῳ καὶ διὰ πολλῶν κινδύνων τὴν ἀρετὴν ἀπέδειξαν· νῦν δ' ἀπὸ ταύτης *ἀρξαμένους ὑπάρχει* γνωρίμους πᾶσι καὶ μνημονευτοὺς διὰ ἀνδραγαθίαν γεγονέναι.* Per famam existimat occisos renatos esse, propter famam iam acceptam illam vitam meliorem esse quam priorem; de immortalitate animi omniumque hominum vita aeterna adhuc nulla mentio fit. Similem de regeneratione sententiam nusquam alibi inveni; haec quoque non idonea mihi videtur, quae cuiquam persuadeat defunctos aeternae vitae participes esse. Maximi ponderis oratori est, quod beati existimandi sunt, et passim ad hanc sententiam revertitur, cf. § 24: *εὐτυχεῖς μᾶλλον, ἢ . . . ἀτυχεῖς νομιστέον;* § 28: *πῶς τούτους οὐκ εὐτυχεῖς κρίνειν δίκαιον;* § 31: *παρὰ ποίᾳ δὲ τῶν ἡλικιῶν οὐ μακαριστοὶ γενήσονται;* § 33: *οὐκοῦν ἄξιον εὐδαιμονίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοσαύτῃ τιμῇ;* § 42: *εὐδαίμονές τε γεγόνασι κατὰ πάντα.*

De vita defunctorum in Proserpinae aedibus tamen nil certi in hac oratione invenimus: veri simile est Leosthenem militesque eius in Orco ab heroibus belli Troiani, bellorum Persicorum, ab Harmodio et Aristogitone receptum et propter facta sua admiratione elatum iri. De receptu defunctorum apud inferos alii quoque agunt[1], cf. Plat. Menex. 247b/c: *καὶ ἐὰν μὲν ταῦτα ἐπιτηδεύσητε, φίλοι παρὰ φίλους ἡμᾶς ἀφίξεσθε, ὅταν ὑμᾶς ἡ προσήκουσα μοῖρα κομίσῃ· ἀμελήσαντας δὲ ὑμᾶς καὶ κακισθέντας οὐδεὶς εὐμενῶς ὑποδέξεται.* Pol. 614e. Apol. 40/41. Soph. Antig. v. 71sq., 891sq. Itaque Hyperides non solum de vita defunctorum per acceptam aeternam famam, sed etiam de quadam umbrarum sensu praeditarum vita agit, nam heroes Leosthenem recipient, admirabuntur, cum duce militibusque tempus degent. De qua re haec profert Meuss: „Bei den worten *τὸ ζῆν εἰς αἰώνιον τάξιν μεταλλάττειν* dürfen wir nicht an ein ewiges leben im christlichen sinne denken; der redner glaubt sicherlich an ein solches so wenig, wie er oder irgend jemand

[1] cf. Girard, l. c. p. 228sq.

an ein buchstäbliches nieaufhören der ἀθάνατος μνήμη dachte. Wenn er den verkehr der verstorbenen unter einander durchaus nach der weise des diesseitigen lebens ausmalt, so ist das zunächst nur als poetische darstellungsweise aufzufassen, und wenn auch in der that viele dem entsprechende vorstellungen vom jenseits gehabt haben mögen, so dürfen wir solche doch nicht ohne weiteres als allgemein gültig bezeichnen[1]."

E sententiis in papyro servatis patet oratorem existimare mortuos sensu praeditam vitam agere; tamen observandum est adhuc solum de vita aeterna hominum bene de patria civibusque meritorum, qui claram mortem obierant, verba facta esse. Illi fama sua aeternae vitae participes sunt et, cum clare mortui essent, non perierunt, sed in alium statum transgressi sunt; quo modo eos vitam amisisse neque renatos esse possumus existimare? In ipso fine fragmenti a Stobaeo servati orator perstringit res ad omnes mortuos pertinentes facitque mentionem de duabus eorum rationibus § 43: εἰ μέν ἐστι τὸ ἀποθανεῖν ὅμοιον τῷ μη γενέσθαι ... εἰ δ' ἔστιν αἴσθησις ἐν Ἅιδου καὶ ἐπιμέλεια παρὰ τοῦ δαιμονίου. Quamquam alteri parti adiunguntur verba ὥσπερ ὑπολαμβάνομεν, tamen nonnulla discrepantia inter hunc finem et prius compluries edictas sententias intercedit[2]. Haec intellegi potest, mihi videtur, ex ea re, quod orator de viris laudandis non dubitat proferre rhetorice exornatas sententias de vita aeterna et de quadam regeneratione agentes. Nunc autem, cum, quae ad omnes pertinent, exponit, proprias sententias non profert, sed media sequitur. Ut perversam interpretationem praemunitione excludat, iam usque ad finem peractis sententiis adponit: πρὸς δὲ τούτοις, εἰ μὲν ..., εἰ δὲ ... E verbis: ὥσπερ ὑπολαμβάνομεν non apparet oratorem ipsum certe credere vitam aeternam omnibus tribui. Fidem, qua commotus Plato hominem divinae naturae participem animamque immortalem esse censet, nullam invenio, quamquam hic locus sine dubio Socratis in Apologia 40 c/d verba respicit: δυοῖν γάρ θάτερόν ἐστιν τὸ τεθνάναι· ἢ γὰρ οἷον μηδὲν εἶναι μηδὲ αἴσθησιν μηδεμίαν μηδενὸς

---

[1] Meuss, N. Jahrb. f. kl. Philol. 1889, p. 813.

[2] cf. Karl Lehrs, Populäre Aufsätze aus dem Altertum, p. 330sq.

ἔχειν τὸν τεθνεῶτα, ἢ κατὰ τὰ λεγόμενα μεταβολή τις τυγχάνει οὖσα καὶ μετοίκησις τῇ ψυχῇ τοῦ τόπου τοῦ ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον. καὶ εἴτε μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν, ἀλλ' οἷον ὕπνος, ἐπειδάν τις καθεύδων μηδ' ὄναρ μηδὲν ὁρᾷ, θαυμάσιον κέρδος ἂν εἴη ὁ θάνατος. Et ibidem legimus 40e: *εἰ δ' αὖ οἷον ἀποδημῆσαί ἐστιν ὁ θάνατος ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον, καὶ ἀληθῆ τὰ λεγόμενα, ὡς ἄρα ἐκεῖ εἰσιν ἅπαντες οἱ τεθνεῶτες*[1].

Oratoribus Graecis persuasum esse videtur mortuos sensu haud privatos esse[2], quamquam tales sententias plerumque dubitationis specie proferunt[3], cf. Plat. Menex. 248b: *ἀλλ' εἴ τις ἔστι τοῖς τετελευτηκόσιν αἴσθησις τῶν ζώντων.* Dem. XIX 66, XX 87, XXIII 210. Isocr. IX 2: *εἴ τις ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων.* XIV 61, XIX 42, 44. Lyc. Leocr. 136. Lys. XII 100. — Itaque ponere possumus hanc dubiam de sensu mortuorum sententiam vulgarem apud Graecos illorum temporum fuisse[4].

Sed etiam altera sententia, quam Meuss huic epitaphio atque Platonis Apologiae communem demonstrat, i. e. si mortuum esse par est atque nunquam natum vel nihil esse etc., alibi habetur, cuius rei Euripidem testem affero, cf. Troa. v. 636: *τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω.* Polyid. frgm. 639; Phrix. frgm. 830.

Denique Hyperides § 43 censet defunctos, qui optime de honoribus deorum meruerint, maximae curae numinis (*τοῦ δαι-*

[1] cf. Cic. De amicitia 14: Id si ita est, ut optimi cuiusque animus in morte facillime evolet tamquam e custodia vinclisque corporis, cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse quam Scipioni? . . . Sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum nec ullus sensus maneat, ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali; sensu enim amisso fit idem, quasi natus non esset omnino.

[2] cf. Meuss, N. Jahrb. f. kl. Philol. 1889, p. 815.

[3] Meuss, ibid. p. 805; Nägelsbach, l. c. p. 416.

[4] Similia etiam apud auctores posteriorum temporum invenimus: cf. Polyb. VIII 12 (14), 4: *εἴπερ καὶ περὶ τοὺς ἀποιχομένους ἔστι τις αἴσθησις.* Cic. Phil. IX 6, 13: mihi autem gratior illi videtur, si quis est sensus in morte. Philem. frgm. 130 (Kock):

εἰ ταῖς ἀληθείαισιν οἱ τεθνηκότες
αἴσθησιν εἶχον, ἄνδρες, ὥς φασίν τινες . . .

μονίου) participes futuros esse, quo dicto quaestiones de iudicio atque mercede defunctorum tangit. Apud oratores perpauca huius modi habemus[1], cf. Plat. Menex. 246d: *ἡγούμενοι τῷ τοὺς αὑτοῦ αἰσχύνοντι ἀβίωτον εἶναι, καὶ τῷ τοιούτῳ οὔτε τινὰ ἀνθρώπων οὔτε θεῶν φίλον εἶναι οὔτ' ἐπὶ γῆς οὔθ' ὑπὸ γῆς τελευτήσαντι.* Dem. XXV 53: *εἶθ' ὃν οὐδὲ τῶν ἐν Ἅιδου θεῶν εἰκός ἐστι τυχεῖν ἵλεων, ἀλλ' εἰς τοὺς ἀσεβεῖς ὠσθῆναι διὰ τὴν πονηρίαν τοῦ βίου.*

Saepius de ratione defunctorum agit Plato, qui postulat, ut iuvenes ita educentur, ut omnes cives mortem servituti et cladibus praeferant, cf. Pol. 386b: *δεῖ δή, ὡς ἔοικεν, ἡμᾶς ἐπιστατεῖν καὶ περί τούτων τῶν μύθων τοῖς ἐπιχειροῦσι λέγειν, καὶ δεῖσθαι μὴ λοιδορεῖν ἁπλῶς οὕτως τὰ ἐν Ἅιδου, ἀλλὰ μᾶλλον ἐπαινεῖν, ὡς οὔτ' ἀληθῆ λέγοντας οὔτ' ὠφέλιμα τοῖς μέλλουσι μαχίμους ἔσεσθαι.* — Secundum hoc postulatum persaepe de benevolentia atque cura deorum, qua bonos viros in Orco recipiant, tractat, cf. Plat. Tim. 42b: *καὶ ὁ μὲν εὖ τὸν προσήκοντα χρόνον βιούς, πάλιν εἰς τὴν τοῦ ξυννόμου πορευθεὶς οἴκησιν ἄστρου, βίον εὐδαίμονα καὶ συνήθη ἕξοι.* Phaedr. 249a/b, Pol. 496e. Gorg. 523a/b.

Quae si recordamur, fortasse censere possumus hoc loco Hyperidem aliquantum sententiis Platonicis, quamquam caute et dubie, usum esse. Ipse Plato non dubitat, quin viris bonis dii consulant, cf. Apol. 41d: *οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν οὔτε ζῶντι οὔτε τελευτήσαντι, οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα.* Tamen concedere cogor hanc Hyperidis sententiam graviorem esse quam illas, quas alii orationum funebrium auctores proferunt, cum affirmant defunctos propter honores ab hominibus illis praebitos diis similes censendos esse, cf. Plut. Pericl. 8, quod dictum ex oratione bello Samio habita haustum videtur: *... ἀθανάτους ἔλεγε γεγονέναι καθάπερ τοὺς θεούς· οὐ γὰρ ἐκείνους αὐτοὺς ὁρῶμεν, ἀλλὰ ταῖς τιμαῖς, ἃς ἔχουσι, καὶ τοῖς ἀγαθοῖς, ἃ παρέχουσι, ἀθανάτους εἶναι τεκμαιρόμεθα· ταῦτ' οὖν ὑπάρχειν καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανοῦσι..* Ps.-Lys. II 80[2].

---

[1] cf. Meuss, N. Jahrb. f. kl. Philol. 1889, p. 814.

[2] [Ps.-Dem. LX 34, 36.]

Vocem denique *τὸ δαιμόνιον* sive *ὁ δαίμων* etiam apud alios oratores invenimus, cf. Ps.-Lys. II 78: *ὅ τε δαίμων ὁ τὴν ἡμετέραν μοῖραν εἰληχὼς ἀπαραίτητος.* Lys. XIII 63. Dem. IX 54, XIV 36, XVIII 192, 208, XIX 239. Isocr. IX 25[1].

Si quaerimus, quid haec oratio cum Platonis dialogis commune habeat, perpauca invenimus: sunt enim duae sententiae, quarum prima agit de duabus defunctorum rationibus (Hyp. § 43 — Plat. Apol. 40c/d), altera mentionem facit de iudicio atque mercede quadam mortuorum (Hyp. § 43 — Plat. Apol. 41 d), quae posterior sententia praeterea multo cautius exponitur quam apud Platonem. Insuper animadversione dignum est has similitudines ad Apologiam, quae est inter prima Platonis opera, pertinere; Socrates enim se defendens de immortali animo non loquitur, sed solum de quadam umbrarum vita. Itaque mihi a Hyperide solum plus minusve vulgares sententiae expositae videntur esse, qua de re probare nequeo, quae de his rebus loquuntur A. Croiset et Meuss. Croiset[2] enim asseverat: „Les dernières lignes du passage conservé par Stobée renferment une véritable profession de foi à l'immortalité de l'âme.“ Sed non demonstrat, quibus verbis orator proferat animum immortalem esse.

Meuss[3] finem epitaphii hisce verbis adumbrat: Der Schluß sind Klänge platonischer Spekulation, die wir aus der Verteidigungsrede des Sokrates kennen, Worte wahrhaft tröstlichen Inhalts, die das, was Platon selbst in seiner Grabrede zum Trost sagt, an Bedeutung weit hinter sich zurücklassen. Es ist ein Stück Religionsgeschichte, das wir vor uns sehen in der merkwürdigen Tatsache, daß der philosophische Begründer der Unsterblichkeitslehre in einer Schrift, die sich auf den Standpunkt des Durchschnittsempfindens stellt, es nicht für angezeigt hält, die Lehre zu verkünden, so nahe auch der Anlaß lag, und daß andrerseits ein reichliches Halbjahrhundert später der vom Staate bestellte Grabredner vor der Versammlung der gesamten

---

[1] [Ps.-Dem. LX 19, 21, 31, 37.]

[2] A. Croiset: Histoire de la littérature grecque, Paris 1900, T. IV, p. 611.

[3] H. Meuss: An attischen Kriegergräbern. Beilage zur allg. Zeitung, 3. Mai 1892.

Bürgerschaft dem allgemeinen Denken über den Tod den Ausdruck leiht, den wir in den angeführten Worten fanden. Wir sehen darin ein mächtiges Erstarken des Glaubens an ein seliges nachirdisches Leben.“ Supra exposui similitudines cum Platonis Apologia haud magni ponderis esse, praeterea fere omnes sententias de statu defunctorum edictas apud alios quoque oratores inveniri. Quae de vita beata omnium mortuorum proferuntur adeo incerta dubiaque sunt, ut ex iis demonstrari non possit persuasionem huius vitae in Hyperidis verbis certiorem inesse quam in orationibus aliorum auctorum. Tantum dici oportet ex hoc epitaphio maiorem oratoris proprium luctum apparere quam e ceteris huius modi orationibus.

Ut breviter omnia complectar: sententiarum de morte duo genera sunt: primo profertur viros clare pro patria mortuos propter gloriam suam 1. per famam felices aestimandos esse, 2. ad aeternam vitam transmigravisse, 3. renatos esse, 4. cum viris similibus tempus acturos esse. Quibus sententiis de immortalitate animi tamen nihil edicitur.

Altero sententiarum genere agitur de morte omnium hominum atque exponitur 1. defunctos morbis, luctu, vitae vicissitudinibus vacare, 2. aut sine sensu omnino perisse, 3. aut sensu praeditos curae numinis divini propter pietatem erga deos praebitam participes esse.

Nova sunt: 1. Proserpinae aedis imago, 2. sententia de regeneratione virorum virtute excellentium, 3. amplior beatitudinis praedicatio. Proprium Hyperidis ingenium ex eo modo videmus, 1. quo immortalitatis famae felicitatisque causas e virtute defunctorum colligit, 2. quo receptum in Orco depingit, 3. quo etiam in hac parte communibus sententiis ad viros ornandos utitur.

Vita.

Natus sum Wilhelm Carl Emil Schlau d. XXVII m. februarii a. MDCCCLXXXVI in vico Livoniae, cui nomen est Salis. Patrem Dr. Carl Leberecht Eduard, qui verbi divini ministerio ibi fungitur, et matrem Charlotte Maria Brigitte e gente Hoerschelmann ambos adhuc inter vivos esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis domi imbutus ab anno MDCCCXCV per septem annos in praedio rustico Koltzen institutus sum, deinde per quattuor annos gymnasium urbane Rigense frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus ab ineunte autumno anni MCMVI me in sede litterarum Dorpatensi ad studia philologica converti, unde anno MCMX gradu „candidati philologiae" accepto recessi. Deinde me Lipsiam contuli, ubi iam per semestre aestivum anni MCMVIII studiis philologicis occubueram, atque ab autumno anni MCMX in hac sede studiis philologicis et paedagogicis operam navavi. Docuerunt me viri illustrissimi Felsberg, Grunsky, Krascheninnikov, Kudrjavsky, Malmberg, Ohse, Zereteli Dorpatenses, Barth, Bethe, Brugmann, Heinze, Jungmann, Lamprecht, Lipsius, Martini, Seidel, Spranger, Volkelt, Wilcken Lipsienses. Ad proseminarium philologicum me admiserunt Heinze et Martini, ad exercitationes historicas Wilcken. In seminarium philologicum me recepit hospitem Bethe, in paedagogicum Jungmann, quibus seminariis interfui per singula semestria. Denique permissu summi consilii, ad quod publicorum studiorum cura pertinet, per sex menses sodalis extraordinarius seminario paedagogico gymnasii Lipsiensis regis Alberti interfui moderante rectore Opitz.

Quibus praeceptoribus omnibus gratiam habeo maximam. Praecipue vero Ricardum Heinze et Justum Hermannum Lipsium, qui me in hac dissertatione perficienda summa benignitate atque liberalitate adiuverunt, nec non Gregorium Zereteli, qui mihi studiisque meis a primordiis pro humanitate sua semper favit, pio gratoque animo colere non desinam.


U. C. BERKELEY LIBRARIES
C046205666